Vtilia admodum

AD PRAEDICAMENTA ARISTOtelis scholia, à Ioanne Arboreo Laudunensi, ex eruditis authoribus selecta, & nuper commode locupletata.



PARISIIS
Apud Simonem Colinæum,
1538.

VNICO PHILOSOPHORVM phœnici, viro sanctioribus sacri eloquij studijs addictissimo Iacobo Fabro Stapulensi, Ioãnes Arboreus Laudunas S.

NOn me præterit quosdam sui nominis illustrandi cupidissimos, sua imperatoribus alijsq; summo in honoris fastigio enitentibus nuncupatim dicasse opera: vt fauorem, subsidium, & beneuolentiam plausibilius captarent, tutiúsq; momorũ morsus & calumnias euitaturi, in publicum prodirent. Alios vero beneficiorum indipiscendorum siti laborantes, nihilo ab ijs, qui parasiticum munus assentationisque palpatoriæ officia obeunt, discretos, opulentioribus auro & argento suffarcinatis suos labores nuncupasse: cæteros me Hercules honestis studijs destinatos viris sanèquam doctis (quos tanquam terrena numina certatim suspiciunt purioris literaturæ amantissimi) suas lucubrationes omnium punctis & calculis approbatas, candido pectore condonasse: quorum vestigia & propensiorem in doctos animum sectatus, non potui sanè tibi inter quosque illustrissimos philosophorum principes vexillifero & antesignano, munusculum istud dicatim non offerre. Quandoquidem tanta tui semper apud me fuit obseruantia, tantúsque tui nominis, non humani dixerim, sed diuini amor: vt sine vilissima ingratitudinis nota te præterire non possim. Verum enimuero tui mores specta-

tiſſimi, tuáque inſignis veræ Philoſophiæ doctrina, qua cæteris palmam præripis, & diuina illa (vt nihil tuis laudibus dignum omittam) ſobria & modeſta in ſacris literis excolendis eruditio, qua tuus animus à rerum humanarum lectione emeritus, paſcitur, delectatur, fruitur, mentem impulerunt & acrius concitarunt: vt pro feruētiore beneuolentia qua me proſequeris, gratiam tibi deditiſſimus remetirer. Etenim eſt quid in te præſtantiſſimum, quod facit vt tua nunquā apud me alióſque contra maleuolos conuiciatores & naſutulos, tibi æquiſſime patrocinantes, frigeſcat memoria: puta ſtudium terſum, politum, emaculatum, & à nullis niſi ſciolis, ac momis inuiſum: quo mediuſfidius miſocalos, philodicos, bonarúmque diſciplinarum cōtemptores ſuis armis exarmaſti: eorúmque ſputa, viperinam linguam, & conuicia infirmaſti: qui de aſini vmbra ſeſe miſere affligentes tecum non auderent iuſto philoſophiæ ſacramento contendere. Sed luſciniæ nugis inſidentes, & ſtentorea, ſi dicam, voce obclamitantes, malunt de fabulamentis, offuciisque circulatorijs, & malarum diſciplinarum calumnijs ad orcum Plutonis & fanum tendentibus digladiari: quos ſatis comminiſcor humanitatis ſtudia contemptim, & ſupercilioſe paruipendentes ὄνους λύρας appellitandos. qui belliſſimum nacti inertiæ & inſcitiæ patrocinium, cum nullum verbum niſi putidum auribus percipere poſſint, ad ſuauiloquentiam obſurdeſcunt & hebeſcunt. Verum, proh dolor, verborum ſordibus horridi, & à muſis admodum alie-

ni, optima deterrimis, odorata infectis, ſcita abſurdis permiſcentes, deuoratam ad Ariſtotelem explicandũ interpretationem reliquerunt. Tu vero Philoſophiæ locupletandæ bene natus, inter cæteros vnus & præcipuus, mare concha concludens, non ſemel ſed ad nauſeam, ſi dixerim, Philoſophum reguſtaſti: & reguſtatum laconico ſermone, venuſto tamen, & germana Atticorum elegantia explicatiſſimum reddidiſti: & perdomitis à te veluti ab Hercule Alexicaco ſophophiloſorum monſtris, feciſti vt feriæ Ariſtotelis diſciplinæ iampridem apud barbaros ac analphabetos exulantes, & ab amuſo blattarum commercio depulſæ, ad hæc feliciſſima tempora redirent: & eam nec tamen pœnitendam deſudaſti operam, vt plurimos diſcipulos præclara fama excellens, non modo in tuam ſed & Ariſtotelicam hæreſim congregaueris: qui nunc poſſunt optimi præceptoris præſidio adiuti, euulſis herbis noxijs ſegetem diſcernere à ceſpite. Eſt porrò, vt nihil veritati denegem, nihilque dictu dignum reticeam: apertum ſatis argumentum, quo honeſtum animi officium refundere, & me tibi deuinctiſſimum reddere debeam. Cum ad bonam frugem, neglectis nebulonum ſomnijs, dextro genio me recepiſſem: tuiſque euoluendis operibus, omnium ſane Philoſophantium vſui maxime neceſſarijs, animum ſellularijs aliàs diſciplinis inſtitutum duce mihi Ioue conuertiſſem, illiſq; mira cum quadam voluptate delinitum cupidius infixiſſem: cœpi altiori mentis cogitatu, ſagacioriq; rationis trutina per-

pendere, quid mihi commoditatis petricosi illi & duri mirum in modum rudentium cardui, & insuaues illæ vrticæ sensui plurimum officientes attulerant. quod cum ab ijs digressum faciens satis compertum habuissem, ad amœnius & multo fœcundius pabulum flatus alitis impulsu festinandum, cœpi primum tui campi mira rerum varietate conspersi, & inter cæteros à studiosis deligendi, flores decerpere: quos vbi selectim decerpsissem, alijs ab olfactu decidentibus, mihi sanè voluptati fuit animum illis fragrantissima quæque redolentibus perfundere. Demum vt logicæ disciplinæ studiosissimis commodius consulerem, operæpretium duxi nostras ad Prædicamenta Aristotelis annotationes, tua virgula censoria castigatas, in apertū efferre: quas classicis philosophiæ authoribus acceptum referentes, quo tibi offeruntur animo suscipias velim. Bene Vale.

Ex eloquentissimo sedis Placidæ musæo.

Vtilia admodum

AD PRAEDICAMENTA ARIstotelis scholia, à Ioanne Arboreo Laudunēsi ex eruditis authoribus selecta, & nuper cōmode locupletata.

¶ Præludium.



Laboratis ad Porphyrianā institutionem Scholijs, quæ viam parant facilē ad prædicamenta Aristotelis dilucidius intelligenda, totū adaugēdis philosophiæ rationalis studijs animum intendētes, æquius q̄ fieri potuit ac commodius, auspicatos labores ad Aristotelis categorias facillimis Scholijs apertius explicandas cōuertimus: vt ad cælestem illam Methaphysicæ disciplinę philosophiam anhelātibus, essemus præsidio: magnúmque adferremus adiumentum. Vt autem commodior futura sit elucubratio, quæ ab eruditis authoribus elucubrata fuere, quibus ingenuus lector iuuetur, fiátque ad hæc intelligenda propensior, nostris annotatiunculis inserere contendemus. Sed priusquā ad anteprædicamenta nostrum flectamus sermonem, diligenter inspiciemus, de quibúsnam fecerit in hoc pręclaro opere inscriptionem. An de voci

bus res ipſas ſignificantibus, an vero de rebus, elementis ſeu ſermonibus deſignatis. ¶Cum eruditis Philoſophi interpretibus fidem adhibēdam eſſe nemo diffiteatur: ad Boëtium vnum præ cæteris interpretem diligentiſſimum accedentes, licebit aſſerere Ariſtotelem hanc de ſermonibus ſeu vocibus rerum genera ſignificantibus feciſſe inſcriptionem: & eo mouebimur argumēto, Philoſophum non de rebus, ſed ſermonibus res ſignificantibus ſpeculari: Eorum quæ ſecundum nullam complexionem dicuntur, ſingulum aut ſubſtantiam ſignificat, aut quantitatem, vt ait in hoc opere Philoſophus. Quòd ſi de rebus diſſerere voluiſſet, non dixiſſet ſignificat: cum res ſignificentur & non ſignificent. quare manifeſtum erit Ariſtotelem ſuam feciſſe inſcriptionem de ſermonibus res ipſas ſignificantibus. Tum etiam prædicamēta iuncta, faciunt affirmationem. Affirmatio vero non niſi in oratione locum habet, at oratio vocibus & non rebus cōpingitur: quare prædicamentorum opus pręclariſſimum, ſermonibus & non rebus accommodabitur. Deſināt igitur homululi & ineptiſſimi interpretes, verius bonarum literarum peſtes nocentiſſimę, de ipſis rebus in hoc inſtituto verboſius obſtrepere. Nec ridicula & abijcienda ſuarum realitatū (quas plus æquo diſſeminarunt) multitudine & confuſione, lectorem obtundant. Sed ſinant amputatis ſuorum monſtrorum capitibus, & ſupercilijs demiſſis, bonas literas, verāq; Philoſophiam optimę indolis altricem, felicius ſuas alas extendere, & de portentis domitis triumphum agere. Dein-

de omnis logica, ſyllogiſmorum ratione eſt conſtituta: ſyllogiſmi vero propoſitionibus: propoſitiones ſermonibus & elementis res ipſas ſignificantibus. igitur hoc opus cæteris viam parans feliciſſimam, vocibus & non rebus accommodabitur. ℂForte quis contendet: Ariſtoteles de ipſis rebus hoc in opere diſputat: & res ſermonibus ſunt agglutinatæ & coniunctę. igitur res ab hac inſtitutione non ſunt reijciendæ. ℂDiluit obiectionem Boëtius, dicens: quoniã res ſemper cum propria ſignificatione cõiunctę ſunt: & quicquid in res venit, hoc idem in rerum vocabulis inuenitur, quare recte de vocabulis diſputãs, proprietatem ſignificãtium vocũ de ijs quæ ſignificabãtur, id eſt de rebus aſſumpſit. & neceſſe fuit quodam modo de rebus diſputationem miſceri: cum non aliter niſi ex rebus proprietates in ſermonibus appareant. Solum igitur oſtendit obiectio res ipſas ſermonibꝰ iunctas, minus principaliter hic diuerſari: ſed cum omnis ars logica de oratione ſit, in hoc opere principaliter Philoſophus de vocibus diſſeruit. ℂAdhuc pugnabit quiſpiam: Si Philoſophus hæc cõnectat vocibus prædicamenta, non erit denegandum, nos poſſe de vocibus res ipſas ſignificantibus acquirere ſcientiam. Sed probatur id fieri non poſſe: infinitorum nulla eſt ſcientia ac cognitio: ſed infinitę ſunt voces res ſignificantes: igitur nullam de vocibus poſſumus habere ſciẽtiã. Minor probatur: res infinitæ ſunt: infinitas autem eſſe voces, quæ ſignificent ipſas res, eſſe neceſſe eſt: cum cuiqꝫ rei ſua vox reſpõdeat eam ſignificans: igitur infinitæ ſunt voces

res significantes. ¶Vinceret obiectio, si Aristoteles hoc in opere de infinitis rerum significationibus tractaret: sed decem solum prædicamenta constituens, voluit infinitam vocum significantium multitudinem, ad ipsa tanq̄ ad principia referri: verbi gratia, homo, animal, equus, asinus, lapis, lignum, stagnū, & alia huiusmodi quæ infinita sunt, ad substantiam referuntur: vbi vides perspicue significantia absolute & simpliciter substantiam, sub eodem degere principio & prædicamēto. Rursus, linea, superficies, corpus, numerus, pedale, bipedale, quātitatem designantia: ad prædicamentum quantitatis reuocantur. Deinde album, nigrum, bonum, malum, & multo plura, genere qualitatis concludūtur, & ita de alijs vocibus aliorum prędicamētorum, rationibus & nominibus conclusis. Vastam igitur admodū & infinitam rerū diuersarum multitudinem, paucissimo decem prædicamētorum numero cōclusit: vt quæ infinita & indeterminata ad scientiā descēdere nō possent, decem generibus proprijs & finitis vocibus diffinita, sciētię cōprehensione continerentur. & nihil nobis suadet ratio nisi infinitam vocum multitudinem (quæ ratione mentis circundari non potest) non posse in sciētiam cadere, tamen decem elemētorum seu prædicamētorum, infinitam vocum multitudinem complectentium, possumus acquirere sciētiam & cognitionē. Diuus Aug. philosophiæ peritissimus, vno opusculo ad has cōmentādas cathegorias ca. 3. agitat cum alijs quæstionem de quibúsnā magis Aristoteles voluerit inchoare tractatū, hanc non

deserit indiscussam quæstionem. Primo inquit de ijs quæ sunt, secundo de ijs quę percipiuntur, tertio de ijs quæ dicuntur. Primo sunt res omnes, quas natura peperit: secũdo percipiuntur ea, quorũ imagines in animo vidẽdo formamus & recõdimus: tertio dicũtur illa quibus ea quæ sunt impressa animo efferuntur. Id nanq; quod quis cõcipit animo, lingua prosequente declarat. Sed vt Themistio nostræ ætatis erudito Philosopho placet, de his Arist. tractare incipit, quę percipiuntur, quæq; ipse vocat Gręco nomine σημαινομένα, siue φαντασίας, id est imagines rerum insidentes animo. Hactenus August. ¶Sciscitari poterit quispiam, cur de prædicamẽtis disserere contendés, ab ęquiuocis, vniuocis, & denominatiuis auspicatus est? ¶Respõdebis, de aliqua re disputantes, solitos esse quibusdam vti pręnotamentis: & ea præmittere, quibus positis, posset facilior de sequentibus haberi doctrina. Quare quicquid sibi visum est ad prædicamẽtorũ intelligentiam conferre, prius q̃ fertilissimum prædicamentorum campum ingrederetur, exposuit.

¶De æquiuocis, vniuocis, & denominatiuis scholia.



Vm ab æquiuocis exordiri voluerit Philosophus: quã de æquiuocis descriptionem nobis reliquit, aperire licebit. *AEquiuoca dicuntur, quorũ nomen solum commune est: secundum nomen uero substantiæ ratio diuersa. ut animal & homo, & quod pictum est. horũ enim solum nomen commune est: secundum nomen uero substantiæ ratio di-*

uersa. Si enim quis assignet, quid sit eorũ utrunq; quo animal est, propriam assignabit utriusq; rationem.
Antequã ad perfectam huius definitionis intelligentiam proficiscamur, adnotatu digna propalabimus. ¶Duplex assignatur æquiuocum: quodam æquiuocãs, quoddã vero æquiuocatum, si illorum verborum vsus permittatur. ¶Aequiuocum æquiuocans, est dicibile vno nomine & diuersis rationibus plura significãs. vt canis. Nam vno nomine canem domesticũ, canem marinum, & canem cælestem significat, diuersæ tamen rationes seu notiones illis significatis respondent. Nam ijs tribus propositionibus, & earum prædicatis diuersę notiones respõdent, canis domesticus est canis, canis marinus est canis, canis cælestis est canis. Similiter homo quatenus significat hominem viuum & pictũ, est ęquiuocum æquiuocans. Nam eadem dictio illa duo significata designat: licet illi diuersæ notiones accommodetur. Nam homo alia notione & ratione, accipitur pro homine viuo, & alia pro homine picto. Diuus Aug. tomo 4. lib. 2. quæstionum ad Simplicianũ dicit, Nemo dubitet vocare hominẽ pictũ hominem, quandoquidem & singulorum quorũq; picturam cum aspicimus, propria quæque nomina incunctanter adhibemus, velut cũ intuentes tabulam aut parietem dicimus, ille Cicero est, ille Sallustius, ille Achilles, ille Hector. ¶Aequiuocũ æquiuocatum, est dicibile æquiuoci æquiuocantis significationem explicans: vt canis domesticus. Est enim dicibile (cum loco incomplexi sumatur) huius æquiuocãtis canis, significationem

ei respondentem explicans, & de illo æquiuocato æquiuocans prædicatur essentialiter. Nã hæc prædicatio est essentialis, canis domesticus est canis: vt illa saltẽ essentialis dicatur, in qua superius de inferiori prædicatur. Scio latere in prædicato variam significationẽ, neq; ansam arripias vt confestim tibi persuadeas illam prædicationem esse alicuius prædicabilis prædicationẽ, euariat enim homonymum prædicatum ab accõmoda prædicandi ratione. Nec me subsannes, nam nõ desunt qui ita loquuntur. Et hæc tria æquiuocata, canis domesticus, canis marinus, canis cælestis, totam huius æquiuocantis canis, naturam explicant. ¶Nonnulli tamen propius accedẽtes ad Aristotelem, dicunt æquiuoca ęquiuocata rebus, & non vocibus accõmodari: vt hominẽ viuum & hominem pictum, dicimus æquiuoca hominis. huic arridet opinioni Boëtius dicens, æquiuoca res esse: æquiuocationẽ vero vocabulũ. Quod ab alijs dicitur æquiuocum æquiuocans, à Boëtio dicitur æquiuocatio. Et intellectus æquiuocationis, teste Simplicio, ipsis æquiuocatis est prior, nam ab illa fluunt æquiuocata. ¶Hac adaperta annotatiuncula, quidnam sibi cõmodi referat æquiuocorum definitio, licet ostẽdere. Aequiuoca æquiuocata, sunt quædã dicibilia, quæ habent nomen æquiuoci æquiuocantis cõmune, quod de illis prędicatur substantialiter essentialiterq; diuersis cõceptibus & significationibus: vt homo viuus & homo pictus, sunt hominis dicibilia: de quibus illud nomẽ cõmune prædicatur essentialiter diuersis rationibus. Non putes nomen cõmune hoc in loco solũ

sumi pro termino cõmuni qui nominis inflexionem recipit:sed pro dictione eadem sumitur. Est enim Socrates, æquiuocatio Socrati viuo & picto:& tamen non est terminus cõmunis, sed est eadem dictio illis æquiuocatis,accõmodata:quæ secundũ diuersas notiones& rationes, modo ad Socratẽ viuum, modo ad Socratẽ pictum deflectitur: hanc interpretationem multi approbant. Quoniam de ęquiuocis, æquiuocatis, & æquiuocantibus, in nostris terminorum formulis disseruimus,de illis nunc subticebo. ¶Volens Boëtius illam æquiuocorũ definitionẽ explicare, hoc vtitur prænotamento: Omnis res,aut nomine, aut diffinitione mõstratur:nanq; subiectam rem aut proprio nomine vocamus, aut diffinitione quid sit ostendimus.vt verbi gratia, quandam substantiam vocamus hominis nomine,& eiusdem definitionem damus:dicentes hominẽ esse animal rationale mortale: ergo quoniã omnis res, aut definitione, aut nomine declaratur:ex his duobus, nomine scilicet & definitione, diuersitates quatuor creantur. ¶Omnes nanq; res,aut eodẽ nomine, & eadem definitione iunguntur, vt homo & animal. vtraq; enim animalia dici possunt, & vtraq; vna definitione iungũtur.est nãq; animal, substãtia animata sensibilis: & homo rursus,substantia animata sensibilis: & hæc vocantur vniuoca, & græcè synonyma. ¶Alia vero quæ neq; nominibus, neque definitionibus coniunguntur: vt ignis,lapis,color:& hęc vocantur diuersiuoca, græcè heteronyma.¶Alia vero quæ diuersis nominibus nuncupantur,& vni definitioni,designa-

tionísque subduntur: vt gladius, ensis. Nam diuersa cum sint nomina, eandem rem designant: & hæc latinè dicuntur multiuoca, græcè vero polyonyma. ¶Alia nomine congruunt, sed definitionibus discrepant: vt est homo verus, homo pictus. nam vtrunque vel animalia vel homines nuncupantur: si vero quis velit hominem, picturámque definire, diuersas vtrisque definitiones coaptabit, & hæc vocantur æquiuoca, & græcè homonyma. Aequiuoca igitur ex Aristotele dicuntur res æquiuocæ, idem commune nomen accipientes, sed rationem & interpretationem diuersam.

¶Nec arbitrandũ est in solo nomine fieri æquiuocationẽ, sed etiã in verbis, cũ dicim⁹ cõplector te, & cõplector à te: eodẽ verbo deprehẽditur alia ratio faciẽdi, & alia patiẽdi. In prępositióib⁹ quoque & cõiũctionib⁹ frequẽter æquiuocatio reperitur.

¶Adnotant Boëtius & Simplicius cõmune multis dici modis. Dicitur commune, quod in partes diuiditur: vt terra sorte habitata. Dicitur cõmune, quod in partes non diuiditur, sed vicissim in vsus habentium transit: vt seruus communis, vel equus. Dicitur etiã cõmune, quod vtẽdo, cuiusque fit propriũ, post vsum vero in cõmune remittitur: vt est theatrum. nam cum eo vtor, meũ est: cum inde discedo, in cõmune remisi. Dicitur quoque cõmune, quod ipsum quidem nullis diuisum partibus, totum vno tempore in singulos venit: vt vox vel sermo, ad multorũ aures vno eodémque tempore totus atque integer peruenit. Secũdum hanc cõmunis significationẽ, innuit Philosophus æquiuocis rebus, cõmune esse vocabulũ. nam anima-

lis vocabulum, homini viuo & homini picto est cõmune: sed secũdum illud nomen, ratio substantiæ est diuersa. Nam vt ait Aug, in hoc opere: Cum dixeris verũ hominem animal esse quod risum capiat, & vim rationis admittat: cũ de picto idem non possis dicere, necessario inueniuntur esse disparia. ¶Ne plus æquo reddat obscurum lectorem rationis significatio, cõsiderabimus rationem multimode dici. Est enim ratio animæ, quã vocant nonnulli rectum animę iudicium, est & ratio cõputandi. Deinde ratio naturę, ipsa similitudo nascẽtiũ. postrema est ratio huic accõmodata proposito, quæ in definitionibus vel descriptionibus redditur, & nonnunq̃ pro ipsa definitione seu descriptione, & interdum pro notione sumitur. Cum dixit Philosophus secundũ nomen cõmune, rationem substãtiæ esse diuersam: & diffinitionis & descriptionis nomen, vt dicit Boëtius, inclusit. Dicit Faber rationem substãtiæ secundum cõmune nomen aliquibus esse diuersam, quando diuersis rationibus de illis substantialiter essentialiterq; dicitur. ¶Contẽderet quispiam in Aristotelem, si æquiuoca quæ dicuntur æquiuocata: æquiuocationib⁹ seu ęquiuocis æquiuocantibus designentur, & quibus auulsis id appellationis retinere non possent, cur Philosophus subticuit æquiuoca æquiuocantia, aut ea in apertum non extulerit. ¶Non oportuit Aristotelem æquiuocum æquiuocans diffinisse: nam æquiuocatis quæ diffinita sunt, relatiua dicuntur: cũ non sit quidpiam æquiuocũ æquiuocans, nisi ad æquiuocata: nec æquiuocatum, nisi respectu æquiuo-

cantis:modo cognito vno relatiuorum,facile & alterum dignoſcimus . Ideo authores ſolũ alterũ relatiuorũ,vt plærunq; definire ſolent : quare nõ oportuit Ariſtotelem diffiniſſe æquiuocationem ſeu æquiuocũ æquiuocans,ſed æquiuocatum pro his quæ ipſis æquiuocãtibus ſignificãtur : & vno, alterum cognoſcitur . ¶Cum æquiuoca ſint caſu vel ex hominum voluntate, adnotandum erit æquiuocorum duas eſſe partes.aut enim,vt dicit diuus Auguſtinus,fortuitu fiunt , aut voluntate, ſeu conſilio,vt dicit Boëtius. Fortuitu fiunt,cum quodam caſu ſimile quis alteri nomen accipit:vt Alexander Priami filius, & Alexander Magnus. caſus enim id egit,vt idẽ vtriq; nomẽ poneretur. Voluntate,cum ſimilitudo nominis ex induſtria imponentis affigitur.¶Horum alia ſunt ſecundũ ſimilitudinẽ:vt homo pictus,& homo verus:quo nunc vtitur Ariſtoteles exemplo.Alia ſecundum proportionem: vt principium. nanq; principium eſt in numero vnitas:in lineis punctus.& hæc æquiuocatio ſecundum proportionem eſſe dicitur. Alia vero ſunt,quæ ab vno deſcendunt:vt medicinale ferramentum,medicinale pigmentum: ab vna enim medicina æquiuocatio iſta deſcendit. Alia,quę ad vnum referuntur:vt ſi quis dicat ſalutaris vectatio eſt,ſalutaris eſca eſt,hæc idcirco ſunt ęquiuoca : quòd ad ſalutis vnũ vocabulum, alia tamen & alia ratione referuntur.

¶Vniuoca dicuntur quorum nomen commune eſt : & ſecũdum nomen eadem ſubſtantiæ ratio,ut animal & homo atq; bos, communi enim nomine horum utrunq; animal nuncupatur,& eſt ſubſtantiæ ratio eadem.ſi

quis enim assignet utriusq; rationem, quid utrunque estquo animal est,eandem assignabit rationem. Cum de vniuocis vniuocatis loquat Philosophus,adnotabimus quænã sint vniuoca vniuocata, & quænam vniuoca vniuocantia.Vniuocantia,sunt dicibilia, quæ de pluribus eodẽ nomine & eadẽ ratione prędicantur,vt homo & animal, cũ de istis subiectis Socrates,Plato,vniuoce prędicantur:nã illis cõpetunt, & nomine & ratione: cũ hominis aut animalis diffinitio,illis æque congruat. Vniuocata,sunt dicibilia,de quibus idẽ nomen essentialiter & eadem ratione prædicatur. Non putes essentialiter hoc in loco nobis indicare prædicationem essentialem vniuocantis ad suum vniuocatum. Nam album est vniuocũ vniuocãs Sorti, Platoni,si fuerint albi.de quibus tamen nõ prędicatur essentialiter.Sed essẽtialiter designat rationem seu conceptũ.Sensus istius ꝓpositionis,homo de suis vniuocatis prędicatur essentialiter,est iste,homo de suis vniuocatis prædicatur secundũ significationẽ essentialem & eundẽ conceptũ.Definiuntur vniuoca vniuocata,vt nõnullis placet, pro dicibilibus,de quibus idem dicibile prædicatur secundũ idem nomen & eandẽ rationẽ essentialem: hoc est eandẽ significationẽ & conceptũ: vt animal vniuoce dicit de hisvniuocatis,homo, equus,vno nomine,cũ homo sit animal,& equus est animal, & secundum eãdem rationẽ. nam de illis prædicatur secũdum eandem diffinitionem essentialem. Nam quærenti quare homo est animal:apta dabitur responsio,quia est substãtia animata sensibilis.Et si quis quærat,quare equus est

animal,similiter respondebitur, quia est substan-
tia animata sensibilis. Sed illa diffinitio essentialis congruere non potest homini viuo & picto: bene quidem primo, sed nõ secundo. Nam si quis percontetur, quare homo pictus est animal, respondendum est, quia est pictura, animalis similitudinem referens. quare dicendum erit animal esse æquiuocum æquiuocãs homini viuo, & picto, & idipsum esse vniuocum vniuocans omnibus his quibus sua diffinitio essentialis competit, nec illa membra diuersa ratione repugnant. ¶ Alij referunt vniuoca ad res ipsas quibus vniuocationis nomen, & ratio eadẽ aptatur: illa autem vniuoca dicuntur, id est, significãtur per vniuocationem, nomine & ratione illis cõmunem: hæc autẽ vniuoca synonyma dicuntur, quæ & nomine & sui interpretatione iungũtur. & cõuenientius Arist. teste Simplicio, vniuoca, synonyma vocauit (quæ cum nomine, etiã diffinitionem habent eandem) q̃ Stoici, qui multa simul habẽt nomina: vt Paris & Alexander idem. ¶ Boëtius sua insigni doctrina, & laudanda diligentia ad Aristotelem proximè accedens, cur hæc vel illa posuerit exempla in suis cõmẽtarijs nõ subticet. Vniuoca dicit esse genera cũ speciebus: & species, speciebus: genera speciebus: vt animal, homo. Nã cũ sit hominis, animal genus: dicitur homo animal. ergo & animal & homo animalia nuncupantur. Secundum igitur commune nomen si vtrunque diffinias, dicis animal esse substantiam animatam sensibilem, hominem quoq; secundum id quod animal est, si substantiam animatam sensibilem

dixeris : nihil in eo falſitatis inuenies . ¶Species vero ſpeciebus vniuocæ ſunt, quę vno & eodem genere continentur:vt homo,equus,atq; bos,his cõmune genus eſt animal,& cõmuni nomine ani malia nominantur: ergo ſecundũ nomen vnum quod illis cõmune eſt,animalis,vna illis ratio diffinitiõis aptabitur:cũcta enim ſunt ſubſtãtię animatę atq; ſẽſibiles. Secũdũ igitur poſteriorẽ vniuocationis deſignationẽ Ariſt. (qua ſpecies ſpeciebus vniuocę ſunt: vt homo & equus atq; bos, quæ ſub eodẽ genere ſunt)ſumpſit exemplũ:hæc ille.¶Obijcies,probando hominẽ & equũ nõ eſſe animalis vniuoca:Quãuis homo & equus eodem animalis nomine nũcupentur:tamen habẽt diuerſas diffinitiones,igitur nõ ſunt animalis vniuoca, ſed potius ęquiuoca.antecedens probatur:hominis diffinitio, eſt animal rationale mortale, equi vero,animal irrationale hinnibile:igitur.¶Dilutio obiectionis.ingenue probat ratio adducta,hominem & equũ eſſe ęquiuoca,cum ſecundum nomen generis minimè ſunt definita:ſed ſecundum particularem ſpeciei definitionẽ. Sunt tamẽ vniuoca, cum animalis definitio illis accõmodatur. Nec putes incõmodum,vt aliquoties ex vniuocis fiant ęquiuoca,& ex ęquiuocis vniuoca.

¶*Denominatiua dicuntur quæcunque ab aliquo, ſolo differentia caſu,ſecũdum nomen habent appellationẽ: ut à grammatica grãmaticus: & à fortitudine fortis.* Ne quid te lateat an denominatiua nomine tantum,an re tãtum,an vero nomine & re ſimul definiat,cognoſcere oportebit denominatiuorũ varietatem. ¶Denominatiua nomine tantum,ſunt

quę ab aliquo ſolo caſu differentia ſunt:ſed ſecun dum illud nomen,non habent appellationem, id eſt,nõ deſignant donominatiuè id pro quo deno minantia ſupponunt, vt pater paternitas, dominus dominatio,quæ idẽ ſignificant in cõcreto & abſtracto. nam quicquid eſt pater,eſt paternitas, & ediuerſo. ❡Denominatiua re tantũ, ſunt quæ nõ ab aliquo ſolo caſu differentia ſunt: attamen ſecundũ nomen denominantis, habẽt appellationem:vt ſtudioſus & virtus. nõ enim conueniunt in exordio,& differunt in fine, & ſtudioſus deſignat id pro quo ſupponit virtus. Nam deſignat, ex Ariſtotele in ſuis moralibus,virtutẽ & probitatem,pro qua ſupponit hęc vox virtus:nec iſta,nec prima[ab Ariſtotele diſcutiuntur. ❡Denominatiua nomine & re ſimul,aliter voce & ſignificatione,hoc in loco definita, ſunt quæ conueniunt in principio cũ denominãtibus, & differunt in fine: & denominatiuè illud denotant ſeu appellãt,pro quo eorũ denominantia ſupponunt: vt grãmaticus & grãmatica.Nam cõueniunt in principio,literis & ſyllabis,& differunt in fine.& denominatiuũ,videlicet grãmaticus,deſignat illud pro quo ſupponit denominans ſeu abſtractũ,ſcilicet grãmatica:ſimiliter fortis & fortitudo ſunt denominatiua ſimpliciter,hoc eſt nomine & re ſimul.Nã ſolo caſu differunt,id eſt,cõueniunt in principio, & differunt in fine,& ſecundũ illud nomen,habẽt appellationem:quia fortis appellat illud, pro quo ſupponit fortitudo. Caſus deſignat finalẽ cadentiam & terminationem dictionum. ❡Habent ſecundum nomen appellationem,quando id appel

lant,pro quo alterũ accipi natum eſt,& vnũ dicit Philoſophus ab altero,vt ſupprincipale à principali deriuari, vt frequenter adiectiuum à ſubſtantiuo.Idcirco denominãs,vt fortitudo principaliter ſignificabit fortitudinem, alterum vero deductitiè & deriuatè. Illa tamen(vt dicit Faber) vtriuſq; ſignificatio,pręcipua dici poteſt. ¶Significatio autem præcipua ea ſola eſt, qua prædicabilis,& dictionum prædicamentalium ratio conſideratur: vt album ſignificatione albedinis, ingrèditur prædicamentum qualitatis: & vere eſt qualitas,& q̃uis accipiatur pro ſubſtantia,tamen ab illa acceptione,neq; prædicabile dicitur, neq; prædicamenti rationem ſibi vendicat. ¶Dicunt intellectum nõ recipere denominatiuũ voce tantum ſeu nomine: nam in intellectu nullæ ſunt determinationes,nec illę proprietates cõueniunt terminis ratione ſignificationis, ſed terminationis. Quare denominatiuum ſeu concretũ habet in mente quandã imaginem ſeu notionẽ à concretis diſcretã ei reſpõdentẽ. ¶Exponens Boëtius denominatiua, dicit caſus ab antiquis nominari aliquas nominũ trãſfigurationes: vt eſt à iuſtitia iuſtus,à fortitudine fortis. Et quotieſcũq; aliqua res alia participat:ipſa participatione,ſicut rem, ita quoq; nomen adipiſcitur: vt quidam homo, quia iuſtitia participat:& rem quoq; inde trahit, & nomen:dicitur enim iuſtus.ergo denominatiua vocantur,quæcunq; à principali nomine, ſolo caſu, id eſt, ſola tranſfiguratione, diſcrepant. Nam cum ſit nomen principale iuſtitia, ab hoc tranſfiguratum nomen iuſtus efficitur:ergo illa

ſunt denominatiua, quæcunque à principali no-
mine, ſolo caſu, id eſt, ſola tranſfiguratione no
minis diſcrepãtia, ſecundum principale nomen,
habent appellationem. ¶Tria autem ſunt ne-
ceſſaria, vt denominatiua conſtituantur: prius,
vt re participent, pòſt nomine, poſtremo, vt ſit
quædam nominis tranſfiguratio: vt cum aliquis
dicitur à fortitudine fortis, eſt quædam forti-
tudo,qua fortis ille participat: habet etiam no-
minis participationem, fortis enim dicitur: at
vero eſt quædam tranſfiguratio, fortis enim &
fortitudo non eiſdem ſyllabis terminantur: hæc
ille. ¶Denominatiua, græcè dicuntur parony-
ma:quæ ſunt in homonymorum & ſynonymo-
rum medio conſtituta,vt dicit diuus Auguſt.to-
mo 1.libro vno in 10. categorias cap.4. & quæ
nec paronyma dici poſſunt, niſi in ſe habuerint
vtrorumq; contractum, id eſt niſi & nomen ho-
monymorum & negotium ſynonymorum videã
tur habere commune: vt à ſapientia ſapientem,
vel medicum à medicina dicamus:eadem in me-
dico quæ in medicina, & actus ſimilitudo vide-
tur & nominis. Propterea rectè paronymum di-
ctum eſt,quòd aliunde nomen acceperit: hæc il-
le. ¶Præludia Ariſtotelis ad prædicamentorum
intelligentiam, vocant anteprędicamenta: quia
viam ſtruunt & præparamenta ad categorias
multo facilius dignoſcendas, & tria aſſignan-
tur vniuerſalia, ſcilicet diffinitio, diuiſio, & re-
gula. Septem vero ſpecialia, ſcilicet tres diffini-
tiones, æquiuocorum, vniuocorum,denomina-
tiuorum, ſub primo cõmuniori contentæ. Duæ

diuisiones sub secundo contentę,duæ regulæ ad tertiũ vniuersale antepraedicamentum reductæ.

De duplici Antepraedicamentorum diuisione,Scholia.


Voniam de simplicibus dictionibus in hoc opere habetur cõsideratio,& de his Philosophus disserere voluerit: nũc dissectionem eorum constituit,quæ dicũtur in ea,secundũ cõplexionem & incõplexionem. A complexis abstinens,que in libris Peri hermenias edocentur.solum incomplexa prædicamentis (vt paulopost edocebit)accommodata,prosequetur.

¶*Prima diuisio antepraedicamentorũ.*Eorũ *quæ dicũtur,alia quidẽ secũdũ cõplexionẽ dicũtur,alia uero sine cõplexione.*Et *ea quæ secundũ cõplexionẽ dicũtur, sunt,ut homo currit,homo uincit.*Ea *uero quæ sine cõplexione dicuntur,sunt,ut homo,bos,currit,uincit.*

¶Quoniam de primis nominibus prima rerũ genera significãtibus,diuisio facienda est,nõ nomine,sed genere discrepãtibus,nunc ostẽdit quid sine cõplexiõe sit cuiuslibet vocabuli facta ꝓlatio.

¶Sine complexione dicuntur voces & dictiones simplices,vt homo,currit,vincit,& quæcunq; secundũ sonum nominis proferuntur.si Aristotelis exemplis subscribere liceat, dicendũ est,verba adiectiua esse incõplexa, nec eorum,qui id denegant,recipiendi sunt cauilli, & quę sine cõplexione dicuntur in prædicamentis locum habent.

¶Secundũ cõplexionem dicuntur orationes, sermones complexi, vt homo currit, homo vincit, & quæcunq;(vt dicit Boëtius)aliqua cõiunctione

copulãtur, vt Socrates aut Plato, vel quæcũq; secundum aliquod accidens coniunguntur. Nam quia, verbi gratia, in Socratẽ venit ambulatio, dicimus, Socrates ambulat: & est prolatio ista secũdum cõplexionem. Idcirco quia cum dico Socrates ambulat, Socratẽ sum cũ ambulatione cõplexus. Quòd autem ait, Eorum quæ dicuntur, nihil aliud demonstrare vult, nisi se de primis rerũ vocabulis, huius libelli disposuisse tractatum. Rerũ enim vocabula, sunt quæ dicuntur, ipsa enim propria nominamus, hæc ille. ¶*Eorum quæ sunt, alia de subiecto aliquo dicũtur, in subiecto uero nullo sunt: ut homo de subiecto quidem dicitur quodã homine, in subiecto uero nullo est. Alia autẽ in subiecto quidem sunt, de subiecto autem nullo dicũtur. in subiecto uero esse dico, quod cũ in aliquo sit, non sicut quædam pars impossibile est esse sine eo in quo est, ut quædam grãmatica in subiecto quidẽ est in anima, de subiecto uero nullo dicitur, & hoc albũ in subiecto quidem est corpore. omnis enim color in corpore est. Alia uero de subiecto dicũtur, & in subiecto sunt. ut sciẽtia in subiecto quidẽ est in anima: de subiecto uero dicitur, ut de grãmatica. Alia uero neq; in subiecto sunt: neq; de subiecto aliquo dicuntur, ut quidã homo, & quidam equus. Nihil enim talium neq; in subiecto est neq; de subiecto aliquo dicitur. Simpliciter autẽ quæ sunt indiuidua, & numero singularia, de subiecto nullo dicuntur: in subiecto autem nihil aliqua prohibet esse. Quædam enim grãmatica in subiecto est, at de subiecto nullo dicitur. hæc Aristoteles.* ¶Hãc dissecat diuisionem in quatuor mẽbra, quibus omniũ prædicamentorũ dicibilia, paucis perstringẽdo, com-

plectitur. Primum membrum competit vocibus prædicamenti ſubſtantiæ: non omnibus,ſed ſolum cõmunibus. Genera enim, ſpecies,& differentiæ ſubſtantiæ,(non autẽ indiuidua) dicuntur de ſubiecto,in ſubiecto vero nullo ſunt. ¶Eſt autem dici de ſubiecto,ſuperius prædicari de ſuo inferiori : quod ſatis demonſtrat Ariſtoteles,dicens hominem de ſubiecto dici quodã homine, hoc eſt, iſta vox homo, prædicatur de Socrate, aut de Platone, aut de aliquo alio particulari homine. ¶Sed diceret quiſpiam,rationale(vt cõuertitur homini) dicitur de hoc ſubiecto homo, ſimiliter de animali ſubiecto dicitur ſenſibile, & tamẽ rationale nõ eſt ſuperius homine, nec ſenſibile animali,igitur. ¶Hæc obiectio non aduerſatur diffinitioni,nec Ariſtoteli. Quãuis illa definitio à pleriſque non recipiatur, aſſerẽtibus dici de ſubiecto, eſſe prædicari ſubſtantialiter vel eſſentialiter. Si Porphyrio accedas,non dices rationale conuerti homini, quare talis differentia prædicaretur de ſuo inferiori. Si vero conſentias (vt docti aſſeuerãt) rationale cõuerti homini,dices rationale de particulari ſubiecto quodam homine dici,vt de Socrate aut Platone,quod innuit Ariſtoteles de ſubſtãtia dicẽs:*Omnia alia à primis ſubſtantijs uel dicũtur de eis,uel in eis ſunt*. Cũ igitur ſit aliud à primis ſubſtantijs dicetur de eis, cum in ipſis non ſit. ¶Eſſe in ſubiecto, vt rebus accommodatur, eſt accidens cuipiam ſubiecto accidere, ſeu (vt dicitur) inhærere. vt albedo parieti ineſt,ipſum parietem denominans album. & id intelligẽdum eſt, de eſſe in ſubiecto ſecun-

dum accidens: anima enim eſt in ſubiecto, vt pars in toto, & tamen non eſt accidens illi adiunctum: ſed non eſt in ſubiecto ſecundum accidens. hoc modo omnis forma rei accidentaria, quæ non eſt vox, eſt in ſubiecto ſecundum accidens. ¶Eſſe in ſubiecto ſecundum accidens logice, vt hoc in loco ſumitur: eſt prædicari accidentaliter. vt album eſt in ſubiecto corpore. Nam de iſta voce corpus, prædicatur accidentaliter. ¶Secundum membrum huic enunciationi reſpondet, alia ſunt in ſubiecto, & de nullo ſubiecto dicuntur: & eo continentur indiuidua nouem prædicamentorum accidētium: vt hoc quantum, hoc album, quæ de nullo ſubiecto dicuntur: cum non prædicentur de aliquo, vt ſuperius de inferiori: tamen ſunt in ſubiecto, quia prædicantur accidentaliter. vt hæc prædicatio eſt accidentaria, Socrates eſt hoc quantum, Plato eſt hoc album. ¶Tertium membrum parti tertiæ diuiſionis reſpondens, complectitur vniuerſalia accidentia nouem prædicamentorum accidentium: nam dicũtur de aliquo ſubiecto vt ſuperius de inferiori: vt ſcientia dicitur de iſto ſubiecto grammatica, & reſpectu alterius vocis: & talia ſunt in ſubiecto, cum prædicentur accidentaliter, vt ſcientia eſt in ſubiecto ſcilicet in anima. ¶Nec putes incommodum eſſe, eandem vocem dici de ſubiecto, & eſſe in ſubiecto, facta ad plures terminos conſideratione: vt coloratum dicitur de hoc ſubiecto album, & eſt in homine ſubiecto: cum hæc ſit prædicatio accidentaria, homo eſt albus. Quare ne-

ganda erit hæc consequentia, ista vox dicitur de subiecto, ergo non est in subiecto: sed concludendum est, non est in subiecto illius de quo dicitur, vt de subiecto. ¶Quartum mēbrum quartæ particulæ diuisionis respōdens, cōplectitur substantias particulares, seu indiuidua prædicamēti substantiæ: quæ nec dicuntur de subiecto, cum non prædicentur de aliquo vt superius de inferiori: nec sunt in subiecto, cum non possint constituere propriam prædicationem accidentariam. Dicit Boëtius Aristotelem hac angustissima diuisione sermonum omnium multitudinem collegisse. Nam quòd rerū vocabula in decem prædicamēta distribuat, hac diuisione maior non potest inueniri: nihil enim esse potest quod huic diuisioni vndecimum adijci possit: ita ex his quatuor nihil demi. nāq; nec minor vlla diuisio his quatuor fieri potest: nec maior, quàm si denario limite prædicamenta claudātur. Cur autem in his quatuor, diuisio facta sit, lucide exponit. Prima quidem rerum est omnium diuisio, in substantiam atq; accidens. Sed quoniam substantia proferri non potest, nisi aut vniuersalis aut particularis intelligatur. Nam cum dico, homo, rem dixi vniuersalem. quòd illud nomen de pluribus natum est prædicari. cum vero dico, Socrates aut Plato, rem percipio particularē. Et accidens quoq; eodem modo. Nam cum dico scientiam, rem intelligo vniuersalem. quoniam scientia de pluribus, scilicet Grammatica, Logica, Rhetorica, nata est prædicari. Si vero protulerim Platonis sciētiam (quoniā omne accidens quod in indiuidua venit, indi-


uiduum fit) particularem intelligo ſciētiam,quæ Platoni ineſt & non alteri. Quoniam igitur neq; ſubſtātia neq; accidēs proferri poteſt,niſi vniuerſalitatis vim obtineat aut particularitatis : recte in quatuor diuiſio facta eſt,vt ſit omnis res aut ſubſtantia,aut accidens, & horū aut vniuerſalis, aut particularis . Ex his igitur quatuor fient & quatuor cōplexiones. Nam cū vniuerſalitas ſubſtantię copulabitur , fiet ſubſtantia vniuerſalis:vt homo,animal,quæ de pluribus ſubſtantialiter nata eſt prædicari . Si vero vniuerſalitas venerit in accidens,fiet accidens vniuerſale , vt ſcientia,coloratum,album.Si particularitas quæ de vno ſolum nata eſt prædicari,adijcietur ſubſtantiæ: fiet ſubſtantia particularis,vt Socrates, iſte homo. Si vero particularitas adhæreat accidenti: fiet accidens particulare, vt ſciētia Platonis,ſimiliter hoc album.Noſcito ingenue lector illis quatuor, totā prædicamentorū naturā cōtineri . Subſtātia vniuerſalis & particularis primū prædicamentū cōtinēt.Accidēs vero vniuerſale & particulare,nouem accidētium prædicamenta complectuntur.

¶Decem prædicamenta his quatuor continentur.

Prædicamentum ſubſtantiæ.	Subſtantia vniuerſalis Subſtātia particularis. Accidens vniuerſale. Accidens particulare.	Nouem accidentium prædicamenta.

¶Has quatuor cōplexiones, vniuerſalem ſubſtātiam,vniuerſale accidens : particularem ſubſtantiam, particulare accidens, Ariſtoteles diſponere

cupiens, non eorum nomina ſed deſcriptiones appoſuit. Et quoniam generaliſſimorũ generum definitiones non poterat inuenire: deſcriptionibus vſus eſt. Id ſubſtantiam eſſe dicens, quod in ſubiecto non eſſet, quæ quidem deſcriptio competit & vniuerſali ſubſtantiæ & particulari: Accidens vero quod in ſubiecto eſſet. Omne nanq; accidens in aliquo eſt: vt color in corpore, ſcientia in anima. & ſubiectam habet ſubſtantiam omne accidens. ſi quis ſubſtantiam tollat, accidens non erit. Quare ſubſtantia, locus eſt accidentis. Subſtantia autem nullo ſubiecto alio nititur, ſed per ſe ſubſiſtit: quòd ſi in aliquo ſubiecto eſſet, diceretur accidens: nam omne accidens eſt in aliquo ſubiecto: & quicquid eſt in aliquo ſubiecto, eſt accidens. Dicetur igitur ſubſtantia vniuerſalis de ſubiecto, & in nullo erit ſubiecto. Particularis vero ſubſtantia vniuerſali partim conueniens, & partim diſconueniens, non dicetur de ſubiecto, nec erit in ſubiecto. Vniuerſale accidens vt coloratum, ſcientia, dicetur de ſubiecto, & erit in ſubiecto, vniuerſali ſubſtantiæ partim conueniẽs in eo quod eſt dici de ſubiecto, & partim diſcõueniens, quòd vniuerſalis ſubſtantia non ſit in ſubiecto. Particulare accidens erit in ſubiecto, ſed de nullo ſubiecto dicetur, partim conueniens vniuerſali accidenti: & partim ab eo diſtans. Ex ſubiecta figura omnium illorum diſcrimen & conuenientia patefiet.



¶Quatuor complexiones ex quatuor rebus.

Subſtantia. Accidens	}	Natura diſcrepantes.
Particularitas Vniuerſalitas	}	Quantitate diſcrepantes.

¶Cum dixerimus accidẽs esse in aliquo subiecto: & multis modis id intelligi possit: quid velit Aristoteles ostendere esse in aliquo, consentaneum fuerit explicare. Adnotauit Boëtius esse in aliquo nouem dici modis, dicimus esse in aliquo vt in loco: vt est in theatro, in foro. Esse in aliquo vt in vase, vt vinum in amphora. Dicitur esse in aliquo velut pars in toto: vt manus in corpore. Esse in aliquo velut totũ in partibus, vt totum in omnibus suis partibus. Esse in aliquo velut in genere species, vt in animali homo, vel genus in speciebus suis. Esse in aliquo, vt aliquid in suo fine, vt quoniam bonæ vitæ finis beatitudo est: si quis sit beatus, in fine est bonæ vitæ. Esse in aliquo vt in quolibet potente: vt in imperatore esse regimen ciuitatis. Esse in aliquo vt forma in materia, vt similitudo Achillis in ære vel in marmore. De hoc vltimo modo loquitur Aristoteles. Nam accidẽs est in substantia velut forma in materia. Et quẽadmodum forma substantialis informat materiam, ita forma accidentaria accidentario suum subiectum informat & denominat: vt scientia est in anima, ipsam denominans scientem, sine cuius existentia talis forma accidẽtaria consistere nequit. Nam accidẽs ab eo in quo est, segregari nequit. Erit igitur accidens in subiecto. quod sic est in alio vt non sit pars, & sine eo in quo est consistere non potest. ¶Obijciet quispiam, Socrates semper in aliquo est scilicet loco, & sine eo esse non potest, & tamen non est accidens: igitur accidẽs non recte definitum est. ¶Respõdebis Socratem non esse in aliquo velut formam in ma-

teria,quare nihil incõmodi adfert obiectio in descriptionem accidẽtis, cum de vltimo modo esse in aliquo,sit præsens negotiũ. Similiter quamuis Socrates sit in loco, locum tamen potest permutare & esse præter locũ in quo fuit, quod minime accidenti cõpetere potest. Tum etiã Socrates per se subsistit:accidens vero per se non constat. ¶Præter illos nouẽ modos esse in aliquo, duorũ meminit Damascenus,esse in tẽpore, veluti cum dicimus Noe tẽpore diluuij fuisse. Et in efficiente causa, vt in deo omnia: & in artifice,rationes eorum,quæ ab ipso emanant.

¶Ad primam anteprædicamentorum regulam scholia.

POstquam edocuit Aristoteles quid est esse in subiecto: nunc ostendere enititur quæ de subiecto prædicantur.& hac prima antepradicamentorum regula proprias dicibilium prædicationes dignoscere poterimus. ¶*Quãdo alterum de altero prædicatur:ut de subiecto:quæcunque de eo quod prædicatur dicũtur,omnia etiam de subiecto dicentur. ut homo de homine quodã prædicatur, animal uero de homine:ergo & de quodã homine animal prædicabitur,quidã enim homo, homo est & animal.* ¶Cum omne quod prædicatur,aut secũdum accidens aut substantiam prædicetur,& quod secundum accidẽs prædicatur sit in subiecto,& nõ in eo quod quid est prædicetur, omne quod secũdum substantiã propriè prædicabitur, merito dicetur & prædicabitur de subiecto. Idem autem putamus prædicari de subiecto & dici de subie-

cto. Et quamuis pauloante docuerimus quid sit dici de subiecto: nunc tamen quid de illius definitione sentiat Boëtius patefaciemus. ¶De subiecto dici seu prædicari, est quando altera res de altera in ipsa substantia prædicatur, vt animal de homine tanquam de suo subiecto prædicatur: nã de illo prædicatur in substantia, cum animal sit substãtia & genus hominis, & quærenti quid est homo? apte respondebitur est animal. Quare illa sola de subiecto prædicantur, que in rei substãtia & definitione ponũtur: vt species, genus, & differentia magis propria. ¶Intelligenda est illa regula in hunc modum: Quando aliquod dicibile prædicatur de altero vt superius de suo inferiori, quicquid prędicatur de prædicato vt superius de inferiori, prædicatur de subiecto vt superius de inferiori: vt animal prædicatur de homine tanq̃ de suo subiecto: & de animali substantia, vt superius de inferiori: quare substantia de homine, vt superius de suo inferiori prædicabitur. Dicunt nonnulli regulam solum esse intelligendã de his prædicatis quæ substantiam significant. Sed nihil obstat quin terminis prædicamenti accidentis competere possit. Nam de albedine color prædicatur vt superius de inferiori, quod sufficit, vt dictum est ad prædicari de subiecto: & de colore qualitas proprie prædicatur, ideo qualitas de albedine prædicabitur vt superius de inferiori. ¶Ex hac dignitate seu principio, Quicquid superiore superius est: & eius quoq; inferiore: dicit Faber illam regulam esse exponendam, vt animal isto superiore homo (facta ad sua inferiora

consideratione)est superius, ideo est superius inferioribus illius speciei : si igitur species dicatur de suis indiuiduis,vt de subiectis, de illis dicetur & genus . Et hæc regula de his quæ dicuntur de subiecto, sumitur . Posset , vt idem ait, alia de ijs quæ sunt in subiecto identidem sumi & quæ huiusmodi . ¶Quando alterum in altero est : quæcunque de eo quod est in altero , vt de subiecto dicuntur : omnia in primo sunt subiecto . vt album in homine quidem est : de albo autem , vt de subiecto coloratum dicitur. coloratum igitur erit in homine.Cuius regulę facilis esset hæc interpretatio : Quæcunque inferiora sunt in subiecto, & eorum quoque superiora in eodem erũt subiecto . ¶Obijcies probando album non esse in subiecto , vt est in homine . album de subiecto homine prædicatur , vt dicit Boëtius , igitur album dicitur de subiecto . ¶Respondebis negando consequentiam . quamuis enim album de subiecto homine prædicetur , non tamen in eo quod quid sit , nec in quale essentialiter, ideo nõ dicitur de homine, vt de subiecto.Nihil aliud innuit Boëtius ex illo antecedente, quàm album de homine prædicari , qui est illius accidentis subiectum . ¶Nonnulli ab Aristotele longe discedentes , crediderunt hac regula philosophum tradidisse argumentandi legem , quam imperitè quartam figuram & sine efficaci ratione vocãt. Et ita videntur argumentari syllogistice , homo est animal, & animal est substantia , ergo homo est substantia . Sed nisi quis caliget & mentis lumine priuetur, satis aperte cognoscet argumen-

tum non esse syllogisticum, cum non sit conse-
quentia formalis. Et ex puris particularibus non
possumus syllogisticè ratiocinari. Aliud est quo
cæcutiunt: putāt hac regula aperiri formam syl-
logisticam quartæ figuræ, vbi solum in hoc opere
versetur sermo de dicibilibus & non de forma
ratiocinandi. Et omnia secūdum materiam sub-
iectam sunt determinanda & exponenda. Quare
te velim lector ingenue, obnixe precari & tibi
persuadere, vt ab insulsis, barbaris, & imperitis
quorūdā neotericorum interpretamentis verius
somnijs & deliramentis in hoc opere excellenti
euentilatis deterrearis & abhorreas: ne sero te
pœniteat vrticas amœnissimis veræ philosophiæ
floribus prætulisse. ¶In regulam digladiaberis:
de Socrate tanquam de subiecto prædicatur ho-
mo, & de homine species specialissima, & tamen
de primo subiecto non prædicatur species spe-
cialissima. Tū etiam de homine prædicatur ani-
mal rationale, & de animali rationali oratio, &
tamen de primo subiecto non prædicatur ora-
tio. ¶Si recte perceperis quæ iam exposita sunt,
facilè illas ratiunculas præpedies & elides: quā-
uis enim de Socrate prædicetur homo tanq̄ de
subiecto, & de homine species specialissima, non
tamen in eo quod quid, nec in quale essentialiter.
Nam hęc prædicatio, homo est species specialissi-
ma, non est essentialis, nec species specialissima
prædicatur de homine in eo quod quid est, nec es-
sentialiter. Nam quærenti quid est homo, non re-
spondebitur aptè, est species specialissima. Non
igitur sufficit primum prædicatum dici de sub-

lecto:sed opus est quod de primo prædicato prę- dicatur, de eo prædicetur tanq̃ de subiecto : ha : solutio satisfacit alteri obiectioni . ¶Nec poten obmurmurare dicens hanc consequentiam esl bonam:animal rationale est oratio, igitur hom‹ est oratio, per locum à definitione ad definitum. Nam argumẽtum non fit per locum à definitio- ne ad definitum:quia quãdo argumentamur per locum à definitione ad definitum, vt videbitur in Topicis, oportet terminum inferentem & illatũ sumi significatiuè. vt rectè sequitur:animal ratio- nale est susceptiuum disciplinæ , igitur homo est susceptiuus disciplinæ. Sed in ista friuola argu- mẽtatione:animal rationale est oratio,igitur ho- mo est oratio:terminus inferẽs, videlicet animal rationale,non sumitur significatiuè. Pariter non sequitur:animal rationale est definitio,igitur ho- mo est definitio.

¶Ad secundam Antepraedicamentorum regulam Scholia.



Olens Aristoteles ostẽdere rationes prædicamentorũ esse immiscibiles, & ex diuersis generibus generalissi- mis, & eorum quæ in diuersis recõ- duntur prædicamentis diuersas esse species & differentias, dicit : *Diuersorum generum & non subalternatim positorum diuersas esse spe- cies & differentias, ut animalis & scientiæ. Anima- lis enim differẽtiæ sunt,gressibile,bipes,uolatile,aqua- tile:scientiæ uero nulla illarum est: neque enim scien- tia à scientia differt, in eo quod bipes est.* ¶Diuersa genera dicuntur genera non synonyma , vt ani-

mal, lapis. ¶Genera ſubalternatim poſita, eiuſdem ſunt Prædicamenti genera: vt animal, brutum. & talia nonnunquam eaſdem habent ſpecies, vt prædicta: quorũ ſpecies ſunt, equus, leo, aſinus, licet plures animali quàm bruto accommodentur. Interdum diuerſas habent ſpecies, vt animal & planta. Nam ſpecies animalis ſunt: homo, equus: plantę vero, pomus, pyrus. ¶Genera non ſubalternatim poſita, ſunt diuerſa prædicamenta, aut diuerſorum prædicamentorum genera. vt ſubſtantia, quantitas, qualitas, & ad aliquid, pariter animal & coloratum: nam ſunt diuerſorum prædicamentorum genera, primum ſubſtantiæ, ſecundum qualitatis. ¶Obijciet quiſpiam: Subſtantia & color ſunt genera non ſubalternatim poſita: & tamen nec ſunt diuerſa prædicamenta, nec diuerſorum prædicamentorum genera, igitur. ¶Reſpondebis ſufficere vnum eſſe prædicamentum, & aliud eſſe ſub prædicamento contentum. Et particulæ definitionis datæ hanc particulam continent.

¶Pugnabis in ſolutionem, probando ſubſtantiam non eſſe prædicamentũ, nihil prædicamentum dici debet quod in prædicamento ponitur, alioqui idem videretur in ſeipſo poni: ſed ſubſtantia eſt in prædicamento, igitur non eſt prædicamentum: minor probatur, Dicit Porphyrius, cap. de ſpecie, in vnoquoque prædicamento eſſe genera generaliſſima, & idem teſtatur ſubſtantiam eſſe in prædicamento ſubſtantię. ¶Dilutio. Solet nonnunquam ſumi pro prædicamento genus generaliſſimum. Cum

autem dicit Porphyrius, in vnoquoque prædi-
camento esse genus generalissimum, sumit prædicamentum pro serie prædicamentali.

¶Cum prædicamenta sint diuersa genera, & abinuicem satis discreta, diuersæ illis merito species attribuentur: & pariter cum species differentijs sint disiunctæ, quoties genera generalissima discrepabunt, & eorum species discrepabunt, & differentiæ diuersarum specierum. Pariter genera diuersorum prædicamentorum diuersas habent differentias, vt animal & scientia. Animalis quippe differentiæ sunt: gressibile, bipes, volatile, & aquatile. quarum nulla scientiæ conuenit. Sed assignari possunt ipsius scientiæ differentiæ, naturalis, moralis, rationalis. Cum scientiarum quædam sit Naturalis, vt Physica: Moralis, vt Ethice: Rationalis, vt Logica. Pariter animal & color quæ diuersa sunt genera & non subalternatim posita, differentias habent disiunctas. Animalis enim differentiæ sunt: rationale, & irrationale. Coloris vero differentiæ non quidem maxime propriæ, sed propriæ, sunt, congregatiuum visus, disgregatiuum visus. Siquidem cum in accidentibus, differentijs maximè proprijs vti non possumus, proprijs, quæ propius ad maximè proprias accedunt, vtimur. Nec differentiæ hoc in loco solum dicuntur maximè propriæ, sed maxime propriæ, aut vbi desunt, propriæ. Authores enim quantum fieri potest, maximè proprijs, accommodísque differentijs vtuntur: vbi vero illæ desunt, vtuntur ijs quæ propius ad illas acce-

dunt. ¶ Ad diuerſorum generum ſubalternatim poſitorum nihil officit ac prohibet eaſdem alias eſſe differentias, alias diuerſas: vt auis eſt genus corui & aquilæ, & ſpecies animalis. Animal autem, eſt genus hominis, equi, & leonis. Et vtriuſque, videlicet tam animalis quàm auis differentiæ eædem eſſe poſſunt. Vt ſi quis has animalis differentias aſſignet, quòd animalium alia ſunt quæ paſcuntur herbis, alia quæ ſeminibus, & alia carnibus, eædem differentiæ aui conueniunt. Nanque auiũ aliæ ſeminibus veſcuntur, aliæ herbis, aliæ carnibus, vt vultur, & miluus. Diuerſæ etiam ſunt animalis & auis differẽtiæ. Nam animalis differentiæ: ſunt rationale, & irrationale: quarum nulla diſterminat auem ab aue. Nulla enim auis differt ab alia aue quòd ſit rationalis, alia vero irrationalis. ¶ Contendet quiſpiam, vult Ariſtoteles in ſubalternis generibus eaſdem eſſe differentias, quas nihil prohibet alias eſſe diuerſas: & quaſcunque differentias prædicati, eaſdem eſſe & ſubiecti: ſed hæc duo inter ſe pugnãt, igitur textus repugnantia inuoluit. ¶ Soluit argumẽtum Boëtius, qui dicit hãc rem plures maximis illigaſſe erroribus, & Ariſtotelis locũ eſſe emendandũ, qui tamen purus & nitidus eſt nihil cõtrouerſiæ recipiens. Differentiarum, vt ille adnotauit, aliæ dicuntur completiuæ prædicati, & cuiuſlibet illius ſpeciem informãtes: quæ cõmuni nomine ſpecificæ nominãtur. Nam cum dicitur animatum & ſenſibile, ſi ſubſtãtiæ cõiungantur, definitionẽ & ſpeciem animalis mox efficiẽt. Animal enim eſt ſubſtantia animata ſenſibilis,

atq; hæ differentiæ dicuntur ſpecificæ & cõpletiuæ.Sunt & aliæ,quę nihil cõplent,nec vllã ſpeciẽ reddunt,ſed genus tantum diuidunt,vt rationale & irrationale,quæ animal diuidunt,& nõ conſtituunt:& hę diuiſiuæ,poſſunt aliquoties eſſe eædẽ, & poſſunt aliquoties nõ eædem eſſe: nã illæ huic generi ſubalterno auis,non cõpetunt : licet alias diuiſibiles habere poſſit,quas prædixim9.Poſſunt igit diuiſibiles eſſe diuerſæ:illæ vero quę cõpletiuæ& ſpecificę ſunt,aliquãdo nõ prędicari de ſubiecto nõ poſſunt:vt quoniã animal habet differentias cõpletiuas & ſuæ ſpeciei effectiuas , ſenſibile ſcilicet & animatum , hæ differentiæ de homine quod eſt ſubiectũ animalis nõ prędicari non poſſunt.Omnes enim ſpecificę differẽtiæ de ijs prædicantur,quorum ſpeciem cõplent:vt de animali prædicatur ſenſibile & animatum , & hoc vt de ſubiecto & animal prædicatur de homine, vt de ſubiecto,quare ex alia regula,neceſſe eſt animatũ & ſenſibile de homine prædicari vt de ſubiecto. Quòd ergo Ariſtoteles ait ſubalternorum generũ nihil ꝓhibere eaſdẽ eſſe differẽtias, diuiſibiles differẽtias ſumebat:quæ poſſũt eſſe etiã diuerſæ. Cũ vero ait:quæcũq; prædicati differẽtię fuerint, eædem erunt etiã ſubiecti:de ſpecificis intelligendum eſt.quæ cũ ſpeciem cuiuſlibet informent, & de eo quod informant, vt de ſubiecto prædicentur : de quocunque,vt de ſubiecto prædicatur illud quod ipſæ differentiæ informant,de eo vt de ſubiecto prædicabũtur,& de eo nõ prædicari nõ poſſunt.Diuus Auguſtinus,in iſtis categorijs dicit,genera vocari ſubalterna,ꝙ alterna ſibi ſocie

tate cõiuncta sint,quæ grçcè dicũtur ἐπάλληλα. Et in istis generibus eædem differẽtiæ & species inueniri possunt:vt si dicas vsiã esse animal mortale,bipes,risus capax, eadem & de animali potes dicere, homo est animal mortale,bipes,risus capax. Certum est ergo in coniunctis generibus, easdem & differentias & species inueniri. In diuersis autem generibus hoc prouenire nõ posse. hæc ille. De hac regula non carente scrupis amplissime agit Aristo.6. Topicorũ,cap.3.loco quidem 42.vbi inquit: Considerandum est & si alterius generis est dicta differẽtia,neqꝫ cõtenti neqꝫ continentis. Nam nõ videtur eadem differentia duorum generum esse nõ continẽtiũ seinuicem, alioqui accidet & speciem eandem in duobus generibus esse non continẽtibus seinuicem: infert enim vnaquæqꝫ differentia proprium genus, vt gressibile & bipes,animal coinferunt,quare si de quo differentia & generum vtrunqꝫ:manifestum vtiqꝫ quoniã species in duobus erit generibus nõ continentibus seinuicem. Sed insistit de bipede differentia duorum generum non se continentiũ videlicet gressibilis animalis & volatilis animalis. Sed vt hunc discutiat scrupum, dicit addendum esse,neqꝫ sub eodem vtroqꝫ existente,modo hæc ambo sub animali sunt. Neqꝫ necesse est omnem differentiam, proprium genus inferre, eo quòd contingit eandem duorum generum esse non continentium seinuicem, sed alterum tantum necesse est inferre,& superiora omnia,vt bipes gressibile vel volatile infert animal: hæc annotes quæso. ¶Obijcies in illã regulã: Idem ter-

minus vt corpus æquale, poteſt in diuerſis prædicamentis recipi: igitur diuerſorũ generũ & nõ ſubalternatim poſitorum, nõ oportet ſpecies eſſe diuerſas. ¶Dices corpus vt ſignificat ſubſtantiã corporeã, eſſe in ſubſtantia: & quatenus deſignat longitudinẽ, latitudinẽ, & profunditatem, eſſe in quantitate. Ita æquale habere rationem quãtitatis & ad aliquid, diuerſa tamẽ cõſideratione. Sed non oportet eundem terminum eſſe in diuerſis prædicamẽtis: quia diuerſas habens rationes, nõ eſt idem ſimpliciter. Nam idem ſimpliciter, eſt & idem nomine & re: modo æquale habens duorũ prædicamentorum rationes, non eſt idem re & ratione. Nonnulli tamen nõ diffitentur eundem terminum poſſe diuerſa conſideratione ad diuerſa prædicamenta decumbere. Sunt tamen eſſentiæ prædicamẽtorum impermixtæ: hoc eſt eſſentiales prædicamentorum prædicationes, nõ ſunt promiſcuæ: cũ terminus vnius prædicamenti nõ dicatur eſſentialiter de termino alterius prędicamenti. quare primæ ſolutioni cũ doctis accedo.

¶De decem prædicamentis generatim, Scholia.



E prædicamentis particulatim determinaturus, in hoc capite vniuerſatim prædicamenta pronunciat. Et poſt illam compreſſam enumerationem in quatuor, id eſt in ſubſtantiam, accidens, vniuerſalitatem, particularitatem : nunc de maxima enumeratione quæ fit in decem prædicamenta, determinat.

¶*Eorum* (inquit) *quæ ſecũdum nullam cõplexionem dicuntur: ſingulum aut ſubſtantiã ſignificat, aut quantitatem, aut qualitatẽ, aut ad aliquid, aut ubi, aut quãdo, aut ſitum eſſe, aut habere, aut agere, aut pati. Eſt autem ſubſtantia quidẽ, ut homo, equus: quantitas autem, ut bicubitum, tricubitũ: qualitas, ut album, grãmaticum: ad aliquid, ut duplum, dimidium, maius: ubi uero, in foro: quando autẽ, ut heri, ſuperiore anno: ſitum uero eſſe, ut iacet, ſedet: habere autẽ, ut calciatũ eſſe, armatum eſſe: agere uero, ut ſecare, urere: pati, ut ſecari, uri.* ¶Quanuis formam diuiſionis ſibi vendicet hęc enumeratio, nõ tamẽ propria eſt diuiſio. Diuiſio nanq; ferè eſt generis in ſpecies, prædicamentum autẽ non habet genus quo diuidi poſſit: igitur prædicamentorũ non eſt diuiſio, ſed enumeratio. ¶Hac enumeratione, ſatis apertè demonſtrat Ariſtoteles ſe tractaturũ de vocibus & nõ de rebus. Nam ſi eorũ quæ ſecundum nullam complexionem dicuntur ſingulum ſignificet, aut ſubſtantiam, aut quantitatem, & ſic de alijs, & cũ ſignificatio rebus nõ accõmodetur, ſed vocibus, nam res ſignificãtur & nõ ſignificant: manifeſtũ eſt Ariſtotelem de vocibus diſſerere & nõ de rebus. Nõ putes vocẽ ſolum ſumi pro dictione quæ auditu percipitur, ſed latè pro quacunq; dictionẽ, vt rei aduerſetur. ¶Amplius dicit in eodẽ capite *ſingula eorũ quæ dicta ſunt: ipſa quidem ſecundũ ſe, in nulla affirmatione dicuntur uel negatione.* Secundum ſe, id eſt ſeorſum, nec ſunt affirmationes, nec negationes. Nam omnis affirmatio vel negatio eſt vera vel falſa, nullum autẽ incõplexum eſt verum aut falſum, vt idem teſtatur de iſtis: homo,

album,currit,vincit.*Horum autem ad ſeinuicem cō*
plexione affirmatio uel negatio fit,id eſt,ſi cum qua
dam cōplexione ſint copulata,vt verbū alteri ex
tremo adhæreat, ſunt affirmationes vel negatio
nes,vt Socrates ambulat,homo vincit.Sed ex re
bus fieri nō poſſunt propoſitiones,ſed ex vocib⁹.
Nam vt dicit Boëtius,in rebus nec eſt veritas nec
falſitas,ſed in intellectibus atq; opinionibus(idē
ſentit Ariſtoteles 2.cap.6.metaphy.)& poſt hæc
in vocibus atq; ſermonibus,igitur de reb⁹ in hoc
opere nō determinatur. ¶Cum prędicamenta ſi
ue genera generaliſſima quæ pro eodē hoc in lo
co ſumuntur ſint inter ſe diſcreta & vnum alio
ſit perfectius,videndū eſt ſi nam aliqua eorū alijs
contineantur. ¶Dicit Auguſtinus in prædicamē
tis,vſiam latinè ſubſtantiā, categoriarū eſſe pri
mam: quæ nouem cæteras ſuſtinet,quæ ſunt ac
cidentia.Ex quibus nouē,ſunt alia in ipſa vſia,alia
extra vſiā, alia & intra & extra. Qualitas,quan
titas & iacere in ipſa ſunt vſia.Mox enim vt vſiā
vel hominē vel equum dixerimus, aduertamus
neceſſe eſt bipedalem, quadrupedalem: aut albū,
aut nigrum:aut ſtantem, aut iacentem. Hæc in
ipſa vſia ſunt, & ſine hac ipſa eſſe non poſſunt.
Alia ſunt extra vſiā:vbi,quando,habere,& locus
ad vſiā non pertinet,& tēpus & veſtiri & armari,
ſed ab vſia ſeparata ſunt. Alia ſunt cōmunia, id
eſt extra & intra vſiā,ad aliquid & facere & pati.
Ad aliquid,vt magis & minus. Vtraq; enim dici
nō poſſunt, niſi coniuncto altero quo magis ſit
vel minus:propterea vnū in ſe habet,aliud extra
ſe.Item facere,extra eſt & intra,vt cædere quiſq;

non poteſt dici,niſi alterũ cædat:hæc ille. ¶Quoniam præ manibus habetur de prædicamẽtis determinatio, facturus operæpretium videbor in lucem adducere prædicamentorum diffinitionẽ à Trapezuntio inter doctos approbatiſſimo elucubratam. ¶Prædicamentum, vt ille diffinit,eſt terminorum qui ſecundum nullam complexionem dicuntur,natura rerum ordinatio:quam in hunc modum exponit Ioannes Cæſarius, Prædicamentum,eſt ſeries quædam terminorum incomplexorum,quatenus ex his natura, id eſt ratione rerũ alij alijs ſubijciuntur,alij de alijs prædicantur. Cæterum nomen prædicamenti dictũ eſſe videtur,quòd de omnibus prædicãtur decem numero prædicamenta,veluti ipſorum vocabulorum elementa quædam, quo nomine & Quintilianus ea vocat,& approbat Laurentius Valla: quòd ſenſus, ſcilicet cæterorum vocabulorũ ad iſta tanquam ad elementa & principia referantur:ob eámq; rem genera quoq; dicuntur, quòd ex his cætera ſignificata gignantur: quorúmque nullum alio ſuperius eſt, aut alteri genus:ſed ipſa genera ſunt principalia. ¶Quemadmodum decem ſunt prædicamenta, ita decem ſunt prædicamẽtorum quęſitiua:quibus ſingulorum prædicamentorum dicibilia de prima ſubſtantia interrogamus, quid, quantum, quid huius, quale, quid agens,quid patiens,quãdo,vbi,quomodo ſitum eſt,quomodo habituatum eſt.Quid,eſt quæſitiuum ſubſtantiæ: quantum, quantitatis: quid huius, ad aliquid: quale, qualitatis : quid agens, actionis : & ita de cæteris per ordinem digeſtis.

¶Vt autem facilius deprehendere possis,quænã dicibilia ponuntur in substantia, aut in alio prædicamento,hoc sumito præceptum. ¶Quæcunq; dicibilia ad aliquod istorum quæsitiuorũ de prima substantia aptè respondentur, sunt in prædicamento quæsitiui:vt homo,animal,sunt in substantia. Nam quærenti quid est Socrates? aptè respondetur est homo, etiam percontanti quid est equus? aptè respondebitur est animal. Simili lege probabis has voces,bicubitus,tricubitus, esse in prædicamento quãtitatis. Nam quærenti de prima substantia, videlicet de Socrate quantus est? aptè respondetur,est bicubitus,tricubitus. Similiter hac regula,album,nigrum,& multa alia sunt in qualitate. Nam quærenti qualis est Plato aut Cicero? bene respõdebitur,est albus,aut niger. Et de alijs similis probatio fieri posset.

¶De prædicamento substantiæ, Scholia.


Rius Aristoteles de prædicamentis generatim & quadã figura disseruit : nunc autem de vnoquoque speciatim loquuturus, à substantia cæteris supereminente auspicatur, nec inconsulto à substantia inchoauit. Nam quoniam omnis res aut in subiecto est, aut in subiecto non est:& quicquid in subiecto est,in propria natura nõ potẽs cõsistere,indiget subiecto.at rebus omnib9 substãtia subiecta est,nihil eorũ quæ in subiecto sunt p̃ter substãtiã poterit remanere: & ipsa prior accidẽtib9 erit,nõ igit̃ absurdè de eo

quod aliis prædicamentis naturaliter est prius, sermonē auspicatus est. Tum etiā Aristo.7.Metaphy. censet oportere exordiri à substantia cum ipsa sit principium & causa quædā. Et in primo cap.eiusdem septimi dicit: Multis quidem modis primum dicitur: attamen substātia & ratione,& cognitione, & tempore, & natura, omniū primū est. ¶Cum de substātia differere cōtendamus,facturi videbimur operæpretiū, si modos substātiæ ab Aristotele in septimo Metaphy. constitutos, ad hunc locū adferamus.¶Philosophus 3.cap.7. Metaphy.dicit substātiā quatuor modis maximè dici. Etenim quidditas, & vniuersale, ac genus, substantia cuiusq; esse videtur, &.quartū horum subiectum. Subiectum autē, id est de quo cætera dicuntur, ipso rationem prædicati nō subeunte. Et hanc substantiā quartū locum sibi vendicātem dicit Philosophus nō dici de subiecto, sed de quo cætera.Hæc ab eodē in hoc prędicamento vocatur prima substantia seu maximè substantia. ¶Idem cap.13.eiusdem septimi,ostendit substantiam dupliciter subijci,aut quod quid existens:vt animal passionib9,aut materia actui.Hæc in trāscursu adnotata,spero lectori nō officere. ¶Cum res sint mutua affinitate rationibus connexæ, quid substantia rei,& substantia pro dicibili censeatur,licebit adnotare.¶Substantia rei seu substantia pro re ipsa, dicitur res per se subsistens:vt homo.nam substantiæ cōpositæ(de qua hęc acceptio intelligēda est) propriū est per se subsistere. De illis loquitur Philosophus 5.Metaphy.vbi dissectionem substātiæ in corpora simplicia(vt sunt

elementa) & in ea quæ ex illis constant (vt animalia) apertā reliquit. ¶Aliam illi attribuunt significationem. Substantia, est res quæ non est accidens, ea vtendo significatione, deus substantiarum simplicissima & nobilissima censetur substantia. ¶Rursus vt incompositis substantia accommodetur: dicitur pars rei per se subsistētis, vt materia, & forma substantialis. Nec abnegat Philosophus septimo Metaphy. substantiarum partes esse substantias, dicens substantiam existere manifestissimè quidem in corporibus, quare animalia & plantas & eorum partes, substantias esse dicimus. ac naturalia corpora, vt ignem, aquam, & terram, cęterorum quoq; singula, & quæcunq; aut horū partes aut ex his sunt aut partibus, aut omnibus, vt cælum, & eius partes, sidera, Luna & Sol. hæc ille. ¶Quoniam de substantijs & simplicibus & mixtis sumus locuti: licitum erit substantiarum gradus hoc in loco nominare, vt earum dicibilia dinoscantur in prædicamento substantiæ sedem habere: logicus enim res propter dicibilia considerat.

¶Substantiarum gradus.

¶Deus summis substantiæ gradibus, medijs & infimis longe supereminet: qui omnium perfectissimus, & à quo substātiales gradus emanant, istis substantijs & substantiæ gradibus connecti non debet.

¶Intelligētiæ	vt Michael & cæteri spiritus angelici.
Cæli	vt cælum lunæ, cælum mercurij, & ita de cæteris.

Elementa vt Ignis, Aër, Aqua, Terra.
Animalia vt homo, equus, bos.
Vegetabilia vt rosa, lilium, pomus.
Mineralia vt aurum, argentū, æs, ferrum.
Mixta imperfecta vt pluuia, ros, pruina.
Substātiarū partes vt anima, corpus, brachium, caput.

¶Substantia pro dicibili, est dictio significans absolute substantiam, aut eius partem substantialē designans, vt hoc dicibile homo: significat enim absolute Socratem, Platonem, & alias substantias pticulares. rationale pariter est dicibile substantiæ, & omnes differentiæ substantiales sunt in genere substantiæ. nam rationale designat sua ratione animam rationalem, hominis partem substantialem. ¶Contendet quispiam, rationale prædicatur in quale, igitur non est in prædicamento substantiæ: probatur consequentia. Substantia differt à genere qualitatis & aliorū prædicamentorum, eo quòd prædicatur in quid. Dicibilia autem qualitatis, & alterius prædicamenti accidentium prædicantur in quale. Tum etiam quæsitiuum prædicamenti substantiæ est Quid. modo si quæratur quid est homo, non respondebitur apte, est rationalis, igitur rationale non est in prædicamento substantię. nec differentiæ substantiales. ¶Qui astruunt imperite differentias substantiales poni in genere qualitatis, hoc argumento se extollunt, rectam aliorum doctrinā supplātare cupientes. Sed in prædicabilium scholijs, ostendimus eorum cristas esse demittendas. Quanuis differentia substantialis prædicetur in

quale, non propterea à genere ſubſtantiæ dimo• uebitur. Nam prædicatur in quale eſſentialiter, quod finitimum eſt prædicari in quid. Si tamen prædicaretur in quale accidentaliter, diſiungere• tur à prædicamento ſubſtãtiæ. Deinde ſub quæ• ſitiuo Quid, complectimur quod ei eſt vicinum, ſcilicet quæſitiuum Quale eſſentiale, ſeu ſubſtan tiale. tamen ſimpliciter quæſitiuum quid, inſti• tutum eſt: vt quæ abſolute ſignificarent ſubſtan• tias, apte reſponderent percontationi illo ſigno deſignatæ, ideo dicitur quæſitiuum ſubſtantiæ. & id ſentit Philoſophus dicens in hoc capite, ſe• cundas ſubſtãtias primas indicare. ¶Conficiens Ariſtoteles quandam ſubſtantiarum diuiſionem in primam & ſecundam: deſcribit primùm pri• mam ſubſtantiam. ¶Ea ſubſtantia quæ proprie principaliter & maxime dicitur ſubſtantia, eſt quæ neque de ſubiecto aliquo dicitur, neque in ſubiecto aliquo eſt: vt quidam homo, & quidam equus. ¶Has particulas proprie, principaliter, maxime, primæ ſubſtantiæ adiectas dilucidat in hunc modum Boëtius: proprie ſubſtantias indi• uiduas dicit Ariſtoteles, quòd hominem quidem ipſam ſpeciem vel animal quod eſt genus, non niſi ex indiuiduorũ cognitione colligimus. qua• re quoniam ex ſingulorum ſenſibus generalitas intellecta eſt: merito propriè ſubſtantiæ, indiui• dua & ſingularia nominãtur. ¶Principaliter ve• ro indiuiduæ ſubſtãtiæ dictę ſunt: quòd omne ac cidẽs prius in indiuidua, poſteriꝰ vero in ſecũdas ſubſtãtias deflectitur. Nã quoniã Ariſtarchꝰ Grę•

cus eſt,homo vero eſt Ariſtarchus:eſt homo grę cus, quod igitur prius ſubiectum eſt, hoc ſanè ſubſtantia principaliter appellatur.

❡Maxime autem prima ſubſtantia dicitur,idcirco quòd quæ maxime ſubiecta eſt rebus alijs,ea maximè ſubſtantia dici poteſt: maxime autem ſubiecta eſt prima ſubſtantia.Omnia enim de primis ſubſtantijs dicuntur,aut in primis ſubſtantijs inſunt. vt genera & ſpecies: genera equidem & ſpecies vt animal & homo de primis ſubſtantijs, vt de Socrate & Platone prædicantur. Accidentia autem in primis ſubſtantijs principaliter ſunt. Quare quoniam vel accidentia in primis ſubſtantijs principaliter ſunt :vel ſecundæ ſubſtantiæ de primis ſubſtantijs prædicantur,primæ ſubſtantiæ ſecundis ſubſtantijs accidentibúſq; ſubiectę ſunt. Et quoniã maxime ſubiectę ſunt:merito maximè ſubſtantiæ nũcupãtur. ❡Dicit Faber hæc aduerbia principaliter, primo, & ferme proprijſſime, primo & maxime,ſe mutuo interpretari:& quanuis non putem id falſum dici, mirum tamen in modum placet ſana Boëtij eruditio: qui cuique particulæ (vt integra primæ ſubſtantiæ natura notior euaderet) ſuam ſubſcripſit rationem.

❡Diſſoluit non indocte Faber addubitationem: Cur indiuidua ſingularéſque ſubſtantiæ proprijſſime & maxime ſubſtantiæ rem ipſam attendendo appellentur. Non abs re forte vt dicit,id eſſe videtur. Nam re pariter & ratione, ſingulares illæ ſubſtantiæ ſubſiſtunt: vniuerſales autem ſubſtantię re ipſa vniuerſales non ſubſiſtunt,ſed ſola ratione. Quod autẽ & re & ratione tale eſt,pro-

prijssime maximéque & primo tale est. Quod vero ratione sola, minus proprie, minus tale & secundo loco tale est. Homo enim substantia est re ipsa sanè singularis, ratione autem sola vniuersalis. Cum enim hominem substantiam dicis vniuersalem, notionem ipsam rationémque respicis vniuersalem, qua mediante vocabulum ad significandum inditum est. Quòd si id plane intelligerent Sophismatum deliramẽtis & somnijs dediti, nõ vsqueadeo cæcutirent, nec eos imperiti interpretes diutule suis technis & decipulis detinerent. Iungunt enim authores (vt ille perpulchre docet) rem rationi, & rationem rei: sed in logica logice, & in Physica physice. res in logica præcipue propter notiones, rationes, proprietatésque dictionum & orationum: & in Physica rationes propter res ipsas conditionésque rerum meditantur. Assimilatur logicus alicui rerum ex imaginibus speciali contemplatori: quòd res ipsas interdum propter imagines illas, & rerum nomina & iterum illorum nominum nomina speculetur. Physicus vero ex opposito rerum assimilatur contemplatori.

¶Prima substantia neque dicitur de subiecto nec est in subiecto, hoc est indiuiduum prædicamenti substantiæ, nec prædicatur accidentaliter nec essentialiter, vt Socrates, Plato. Nam nihil natũ est subijci indiuiduis substantiæ, omnibus tamen alijs natæ sunt subijci. Nec inculcandum est futile argumentum de hac albedine aut non ente ad suadendum vtrunque dici primam substantiã: quia nec sunt in subiecto nec dicuntur de subie-

cto.Nam quæ nec ſunt in ſubiecto nec dicuntur de ſubiecto, & ſecundis ſubſtantijs & accidentibus, ex Ariſtotelis ſententia ſubſiſtunt & ſubijciuntur:modo hæc albedo,aut non ens,ſecundis ſubſtantijs nõ ſubijciuntur. cum iſtæ propoſitiones ſint falſæ:hæc albedo eſt animal,non ens eſt homo. Hæc particula,quod nec dicitur de ſubiecto in deſcriptione primæ ſubſtantiæ poſita, disiungit ſecundam ſubſtantiam à prima.Nam quãuis ſecunda ſubſtantia non ſit in ſubiecto,tamen dicitur de ſubiecto. ¶Contendet quiſpiam,magis dignum fuit ſpecies & genera primas ſubſtantias nominari quàm ſingulares ſubſtãtias, igitur ſingulares ſubſtãtiæ non debent dici primæ ſubſtantiæ: antecedens probatur. Secundæ ſubſtantiæ ſingularibus priores ſunt, igitur debent dici primæ ſubſtantiæ : antecedens probatur. Omne quod prius eſt ſublatum,aufert id quod eſt poſterius:poſterioribus vero ſublatis priora nõ pereunt. homo nanque ſi pereat, Socrates continuo eſt periturus, at non ediuerſo. Si igitur ſublatis generibus & ſpeciebus indiuidua perimantur, ſublatis autem indiuiduis,ſpecies & genera permanent: ſecundæ ſubſtantiæ quæ ſunt genera & ſpecies erunt indiuiduis ſubſtantijs priores.
¶Dilutio. Negandum eſt ſecundas ſubſtantias eſſe indiuiduis ſubſtantijs priores:& quanuis Socrate perempto non intereat homo, ſublatis tamen omnibus hominibus,hominem interire neceſſe eſt. Diſſoluens illam rationem Boëtius, dicit: Indiuiduorum naturam non recte accipi in argumento. Neque enim cuncta indiuiduorum

ſubſtantia in vno Socrate eſt, vel quolibet vno homine: ſed in omnibus ſingulis. Genera nanq; & ſpecies non ex vno ſingulo intellecta ſunt: ſed ex omnibus ſingulis indiuiduis mentis ratione concepta. Semper enim quæ ſenſibus propinquiora ſunt, ea etiam proxime nuncupanda vocabulis arbitramur: qui enim primus hominem dixit: non illum qui ex ſingulis hominibus conficitur concepit animo, ſed quendam ſingularem atque indiuiduum, cui hominis nomen imponeret. Ergo ſublatis ſingulis hominibus homo non remanet: & ſublatis ſingulis animalibus, animal interibit. Quocirca quoniam in hoc libro de vocabulorum ſignificatione tractatus habetur: ea quibus vocabula prius poſita ſunt, merito primas ſubſtantias nuncupauit. prius autem illis vocabula ſunt indita: quæ prius ſub ſenſibus cadere potuerunt. ſenſibus vero obijciuntur prima indiuidua, merito igitur eas primas in diuiſione poſuit. hæc ille. ¶Subagitatur quæſtio: Cum naturaliter primæ intelligibiles ſint ſubſtantiæ, vt deus vel animus: cur non has primas ſubſtantias nuncupauerit.

¶Ab eodem diſſoluitur quæſtio. Quoniam vt inquit, ſic de nominibus tractatus habetur: nomina autem primo illis indita ſunt, quæ principaliter ſenſibus fuere ſubiecta. Poſteriora vero in nominibus ponendis putantur: quæcunque ad intelligibilem pertinent incorporalitatem vt ad deum vel animam, vel ad genus vel ſpeciem. Quare quoniam in hoc opere principaliter de nominibus tractatus eſt, de indiuiduis

d.iiij.

mento qualitatis,& homo in genere ſubſtantiæ. Secundo per accidens, quando de illo generaliſſimum prædicatur accidẽtaliter, & ſic album eſt in genere ſubſtantiæ. Tertio reductione, quando de illo non prędicatur generaliſſimum in recto, ſed ſolum in obliquo, ratione alicuius per ſe exiſtentis in prædicamento cuius eſt principium: & hoc modo punctus & vnitas ſunt in genere quãtitatis,& deus in genere ſubſtãtiæ.& de re fit ſermo, cũ ſit principium eorum que per ſe ponũtur in ſubſtantia. Hæc tamen diſtinctio parum aut nihil habet commodi in diſciplinis. ¶Percontaberis cur Philoſophus primam ſubſtantiã per negationem deſcripſit. ¶Hanc diſſoluit percontationem Simplicius, quibuſdam ad id ſuadendum analogijs vtens. Sumptis(vt innuit) his tribus, homo, equus, canis: verum eſt dicere, quod non eſt canis neque equus, quòd homo eſt: & cognitis duobus, cognoſcetur tertium. Similiter ſi hæc tria ſumantur, bonum, malum &, indifferens: verum eſt dicere ſignificantẽ indifferens, quod neque eſt bonum neque malum.& cognitis duobus cognoſcetur indifferẽs. Haud ſecus his tribus acceptis, quod eſt in ſubiecto, quod dicitur de ſubiecto, & quod neutro modo ſe habet, verũ eſt demonſtrato tertio dicere quòd nec eſt in ſubiecto, nec dicitur de ſubiecto: propter hoc docuit de eo quod eſt in ſubiecto,& de ſubiecto dicitur, vt per negationẽ ipſorũ propriiſſimã ſubſtantiam ſignificaret. quam his indiuiduis ſubſtantijs quidã homo & quidam equus, proprie impoſitarum & vere denominatarum vices gerentibus aperte dete-

xit:ex quibus equidē exēplis satis conjectare possumus Philosophū nunc non proposuisse de intellectualibus disceptare, sed de sensilibus. ¶Alia addubitatio, Cur à singulari substantia incepit?
¶Idem Simplicius visus est reddidisse rationem dicēs, cū dupliciter dicatur prius & posterius: aut natura, aut ad nos, & neutro modo habēte, eam ob rē prius docuit de subiectis singularibus. Singularia quidē sunt priora ad nos, prius enim his incidimus. Natura autem, cōmuniora sunt priora, sub vniuersalibus enim ordinata sunt singularia. Quare si quis à natura incipiat, simplicia, causas, vniuersalia, immaterialia, indiuisibilia & talia præordinabit. quoniam autem à significatiua habitudine ordo nunc acceptus est, ad nos prius accipietur & primū describetur. ¶*Secundæ substantiæ dicuntur species, in quibus eæ, quæ principaliter substātiæ dicuntur, insunt: ut homo & aīal.*
¶Complexus est Aristoteles secundas substantias generibus & speciebus: nō quidem omnibus, sed his quæ primas substantias continerent: vt homo continet particulares substantias, scilicet Socratem, Platonem, & ita de cæteris de quibus prędicatur in quid & essentialiter. pariter animal est secunda substantia. nam est genus continens speciem & primas substantias de quibus prædicatur essentialiter & in quid. Sunt igitur secundę substātię genera & species in quibus sunt primæ, id est, particulares substantiæ subijciuntur secundis, prędicatione essentiali & in eo quod quid est: id recte dictum putabitur, ne quis credat coloratum quod est genus: aut album quod est spe-

cies, esse secundam substantiam: nã minime prædicantur de primis substantijs substantialiter seu essentialiter. Tum etiam non continent primas substantias. Nam quid sint primæ substãtiæ non indicant, quod oporteret: non enim quærẽti quid est Socrates, apte respondebitur, est albus aut coloratus. Quid autem sint primæ substantiæ, secũdæ monstrant: & eorum quæ prædicantur, vt dicit in hoc capite Philosophus, primam substantiam indicant: accidentia vero alienissime: quare merito secundæ substantiæ erunt genera & species in quibus sunt primæ substãtiæ. ¶ Quoniam genera & species sunt in subiecto, aut dicuntur de subiecto: & non quæ cũ sunt in subiecto dicũtur de subiecto. quidnam discriminis habent genera & species prædicamenti substantiæ ab his quæ in primis sunt substantijs, ostendit Aristoteles, dicens: *Eorum quæ de subiecto dicuntur, necesse est & nomen & rationem de subiecto prædicari: ut homo de subiecto quodam homine dicitur: prædicatur etiam & nomen. Hominem enim de quodam homine prædicabis, & ratio quoq; hominis de quodam homine prædicabitur: quidam enim homo & homo est, & animal rationale mortale. quare & nomen & ratio de subiecto prædicabitur.* ¶ Nomen prædicari seu nomine prædicari, est vere & affirmatiue prædicari: vt hoc nomen homo de Socrate prædicatur, cum dicimus Socratem esse hominem. ¶ Ratione prædicari, vt fertur, est substantialiter & essentiali ratione prædicari. Dicam facilius & magis ad Aristotelis intelligentiam: Est diffinitionem de eo prædicari essentialiter, de

quo & nomen cuius est definitio prædicatur: vt homo prædicatur quidem nomine de Socrate, cũ dicitur Socrates est homo, & ratione, hoc est secundũ suam definitionẽ, vt Socrates est animal rationale mortale. ¶ *Illorum quæ sunt in subiecto in plurimis quidem neq; nomen neq; ratio prædicabitur de subiecto:* vt virtus est in anima tanquã accidens in subiecto, & de anima nec nomine nec ratione prædicatur: cum non dicimus animam esse virtutem, sed studiosam, & virtutis cupidã. *In aliquibus autem nomen de subiecto prædicari nihil prohibet, rationem autem est impossibile: ut album prædicatur de corpore, cum sit hæc enuntiatio uera, corpus est album. Ratio autem albi de corpore substantialiter dici non potest. Verum cum omniũ horum prima substantia sit subiectum, manifestũ erit omnia alia à primis substantijs (ut dicit Philosophus) aut de eis dici ut de subiectis, aut in eis esse ut in subiectis:* hoc est accidens vniuersale, aut substantia vniuersalis prædicatur de prima substantia aut essentialiter aut accidentaliter. Id perspicuum euadit ex Aristotelis probatione, qui ita inquit: *Animal de homine prædicatur: ergo & de quodam homine animal prædicabitur. Nam si de nullo quorundam hominum, neq; omnino de homine. Rursus color est in corpote: ergo & in quodam corpore. Nam si non esset in aliquo singulorum, nec omnino in corpore.* ¶ Hinc concludit Philosophus: *non existentibus primis substantijs impossibile esse aliquid aliorum remanere.* Nã omnĩa alia vt dictum est, aut prædicãtur de eis, aut sunt in eis: quare sublatis primis substantijs, nec vniuersalis substãtia nec accidẽs de eis prędicaretur.

non enim essent secundæ substantiæ: nisi de primis substãtijs prædicarẽtur. Nec quæ sunt in subiecto penitus consistere possent nisi primarum substantiarum fulcimentis & fundamentis innitерentur. ¶Nec accedo eorũ sentẽtię qui imperita & barbara quæq; effutientes dicunt essentiam generis vel speciei destitutam indiuiduis, posse subsistere: hoc perculsi argumento: Species sunt æternæ, igitur expulsis indiuiduis adhuc subsistũt. Sed velim q̃ futile sit hoc argumentum dignoscant periti, qui Aristotelis disciplinas ad vnguem cognoscũt. Species tametsi sint æternæ, illarum tamen æuiterna duratio cõsistere non potest, si particularium substãtiarum (quarum sunt imagines) nullæ subsisterent. Quis dij boni, nescit species frigescere & perituras, si nulla foret particulariũ substantiarum successio? Et satis apertè errorem quo cęcutiũt, detegit Aristoteles, dicẽs: Non existentibus primis substantijs impossibile esse aliquid aliorum remanere. adnitũtur tamen illud interpretari, dicentes Aristotelem noluisse asserere destrui genera & species, si destruantur indiuidua illius speciei vel generis: sed si destruãtur omnes substantiæ primæ. quoniam si non esset aliqua substantia, non esset aliqua forma substantialis, pariter nec materia prima: modo deficiente prima materia, deficerent omnes quiditates (vt ita loquuntur) substantiales & accidentales. Lolio sanè victitant & Cimmerijs offunduntur tenebris, dicentes Philosophum noluisse dicere destrui genera & species si destruantur indiuidua illius speciei vel generis. Nam ad suadendũ

alia à primis subſtãtijs interire ſi primæ ſubſtantiæ intereant,hoc vtitur argumento:animal prędicatur de homine,igitur de aliquo homine.nam ex oppoſito conſequentis, ſi de nullo prædicarẽtur,neque omnino de homine.Quare dicendum eſt, vt dicit Boëtius Philoſophi optimus interpres, ſecundas ſubſtantias non eſſe, niſi de primis ſubſtantijs prædicarẽtur.❡Inſiſtet quiſpiam: deſtructis hominibus animal perire non eſt neceſſe: & homines ſinguli animalis ſunt primæ ſubſtantiæ & indiuidua. igitur peremptis primis ſubſtantijs,ſecundas perimi non eſt neceſſe.

❡Dices homines ſingulos non eſſe propinquas animalis ſubſtantias, ſed hominis. cum genus propius prædicetur de ſpecie quàm indiuiduis. remotius autem ſeu mediatius de indiuiduis. Et perẽptis ſingulis hominib9 hominẽ perire oportet,cũ nihil remaneret cuius pręſidio cõſiſteret. Eſt etiam intelligendus Ariſtoteles, deſtructis omnibus indiuiduis & ſpeciei & generis nihil aliorum poſſe ſubſiſtere: modo ſi omnes particulares animalis ſubſtantiæ interirent, & animal interire oporteret. ❡*secundarum ſubſtantiarum magis ſubſtantia eſt ſpecies q̃ genus*: hãc concluſionẽ probat Philoſophus dicens:*species propinquior eſt primæ ſubſtantiæ:ut ſi quis primam aſſignet ſubſtantiam quid ipſa ſit, conuenientius & multo euidentius aſſignabit ſpeciem quàm genus: ut quærenti quid eſt Socrates, aptius reſpondetur eſt homo, q̃ ſi reſponderetur eſt animal: igitur ſecundarum ſubſtantiarum magis ſubſtantia eſt ſpecies quàm genus*.Probatur conſequentia,Quanto ſe-

cundarum ſubſtantiarum aliquæ ſunt propin- quiores primis quàm aliæ,tanto illæ primis con- uenientiores magis dicuntur ſubſtantiæ.

¶Hinc facilè erit perpēdere diſcrimen inter pri- mas ſubſtantias & ſecundas. Primæ nanque ſub- ſtantiæ omnibus alijs æqualiter ſubijciuntur: & natæ ſunt tam ſecundis ſubſtantijs quàm acci- dentibus ſubſterni & ſubijci. Secundæ autem ſub- ſtantiæ non æqualiter ſunt ſubſtantiæ. Nam quo- niam propinquior eſt ſpecies primæ ſubſtantiæ quàm genus quæ ſolum de primis ſubſtantijs di- citur: genus autem & de ſpecie & primis ſubſtā- tijs,idcirco magis eſt ſpecies ſubſtātia quàm ge- nus. ¶ Nec propterea putes ſecundas ſubſtan- tias ſuſcipere intenſionem & remiſſionem,cum id abneget Philoſophus in quinta proprietate ſubſtantiæ. Nec prædicari cum his aduerbijs magis & minus. Sed quia ſpecies conuenien- tius & propinquius primis adnectuntur ſubſtan- tijs, & de primis interrogatis aptior & lucidior per eas fit reſponſio q̃ per genera, dicuntur ma- gis ſubſtantiæ quàm ipſa genera. ¶Adnotatu dignum eſt,omnes ſubſtātias eatenus dici æque ſubſtantias, quatenus non ſuſcipiunt intentio- nem nec remiſſionem. Præterea non eſt incom- modum eandem ſubſtantiam eſſe magis & mi- nus ſubſtantiam, diuerſa tamen ratione: vt ani- mal. eſt enim magis ſubſtantia quàm corpus ani- matum,& minus ſubſtantia quàm homo. Co- gnoſcitur vna ſubſtantia eſſe magis ſubſtantia quàm alia, cum talis ſubſtantia eſt altera mi- nus communis. Et minus ſubſtantia,quanto ma-

gis est communis, & minima substãtia si omniũ substantiarum sit communissima, vt substantia. ¶Sequi videbitur duas æque dici substãtias: quarum vna est minima, altera vero non, vt substantia & corpus. Sunt enim æque substantię, cũ non prædicentur cum istis aduerbijs magis & minus intensionem & remissionẽ designantibus, & vna est minima, scilicet substãtia, altera vero non. Genera enim intermedia sunt magis & minus substantiæ. Genus generalissimum minima substantia, particulares vero substãtiæ, maximè sunt substãtiæ. ¶Sed cum substantia omnes cõplectatur substãtias, videbitur cuipiã maxima, nec iniuria. Quare adnotandũ puto substantiam eo iure dici maximã, quatenus est continens omniũ substantiarum. Corpus, maior substantia, vt est cõtinens omniũ corporũ. Corpus animatũ, maior substantia, vt est continẽs omnium animatorũ. Animal maior substantia, vt est continens omnium animalium. Pariter homo, vt est cõtinens omniũ hominum. Minima autẽ erit particularis substãtia, quatenus est vnius tantũ substantia, vt Plato, Cicero. ¶Hac tamẽ valida ratione, demõstrat Aristote. primas substãtias esse maximè substantias. Primæ, vt inquit, substãtiæ alijs omnibus subijciũtur, & omnia alia vel de ipsis prædicantur, vel in ipsis sunt. Et quemadmodũ primæ substantiæ ad alia omnia se habẽt, sic & species ad genus se habet. Nam species subijcitur generi, genus autem speciei non subijcitur: quare species primis substantijs propinquiores & similiores, dicentur magis species q̃ genera. Ipsarum specierum quæcũq;

non ſunt genera:nihil magis alterum altero ſubſtantia eſt.Cum ſecundarum ſubſtantiarũ aliquæ ſolum ſint ſpecies, & hæ ſpecialiſſimæ ſeu maximè ſpecies dicuntur. Aliæ vero ſint ſpecies & genera, ad diuerſa tamẽ cõparatæ: hæ quæ ſpecialiſſimę ſunt, eã ſibi vicinitatem & cõuenientiã in ſubſtãtia vẽdicant: ꝙ earum nulla, vt dicit Philoſophus, ſit altera magis ſubſtãtia: cuius firma & expedita eſt probatio. Nihil enim, vt inquit, familiarius aſſignabis de quodã homine hominẽ aſſignãdo: q̃ de quodã equo equũ. Et ratio eſt: nam homo & equus ſolis indiuiduis præſunt: & æqualiter à ſuis indiuiduis diſtant: nõ igitur homo propinquius de ſuis indiuiduis dicetur, q̃ de quolibet equo, equus. Probè dixit ſpecies quę non ſunt genera, eſſe ęqualiter ſubſtãtias. Nã duarum ſpecierum, quarum vna eſt ſpecialiſſima, & altera ſubalterna, nõ eſt ſubſtãtiæ æqualitas: vt hominẽ & auẽ animalis ſpecies, dicimus inæqualiter eſſe ſubſtantias: cum vna ſit ſpecialiſſima, ſcilicet homo: altera ſubalterna, ſcilicet auis, quæ in alias diuiditur ſpecies: vt in accipitrem & vulturem: quę quanquã aues ſint, ſpecie tamen diſſentiunt. Nec mireris hominem & auẽ non eſſe æqualiter ſubſtantias. Nam à primis ſubſtantijs non æqualiter diſtãt. homo enim ſolis præfertur indiuiduis: auis vero nõ ſolum indiuiduis, ſed etiam ſpeciebus ſpecialiſſimis, vt accipitri & vulturi præeſt. Sed homo & accipiter cum æqualiter à primis ſubſtantijs diſtent, ſunt æqualiter ſubſtantiæ.

¶*Similiter autem & in primis ſubſtantijs nihil magis alterum altero ſubſtantia eſt.* Satis manifeſtum

est primas substantias æqualiter esse substantias. Non enim quidam homo magis substantia est q̃ quidam equus. Nam primæ substantiæ, cum maximè & principaliter sint substantiæ, neq; minus, neq; magis substantię dicentur. ❡ *Merito post primas substantias, sola aliorum omnium species & genera secundæ substantiæ dicuntur.* Cõueniẽter post primas substantias, genera & species, secundas esse substantias demonstrat: *nam sola hæc, quid sint primæ substantiæ indicant*: nobis enim sciscitantibus quid sit Socrates, aptè respondebitur homo, & animal. manifestius tamen & familiarius hominem quàm animal assignabis. Aliorum autem, vt accidentium, nihil aptè primis substantijs quid ipsæ sint assignabis: sed extraneè & alienissimè proferes: vt quid Socrates sit percontanti, non aptè respondebitur est studiosus, albus, aut Philosophus. Quare accidẽtia aliena erunt ad quęstionem quid, de prima substãtia. Merito igitur post primas substantias, earum genera & species, secundę substantiæ dicuntur. *Tum etiam primæ substantiæ proprijssime idcirco substantiæ dicuntur, q̄ alijs omnibus substernuntur. At uero ut ipsæ alijs subijciuntur: ita species & earum genera alijs subijciuntur: & de ipsis reliqua prædicantur.* Si enim quẽdam hominem grammaticum enunties, igitur hominem & animal esse grammaticum fatearis necesse est: similiter & in alijs: quare post primas substãtias rectè proposuit earum species & genera secundas esse substantias. *Commune est omni substantiæ in subiecto non esse.* Nunc Philosophus substantię proprietates, seu quasdam verius

communitates cupit exquirere: quasi sint signa quibus substantiam valeamus agnoscere. ¶Prima. Commune est omni substantiæ in subiecto non esse. De prima substantia statim perspicuum euadit, cum de nullo possit accidentario prædicari, nec possit particularis substantia esse accidēs. Secundæ autem substantiæ quāuis videantur esse in subiecto, cum dicunt hominem esse in Socrate & animal in homine: sed nō aliter illud intelligendum est q̄ per prædicationem essentialem, & hominem prædicari substantialiter de Socrate & animal de homine. Non tamen secundæ substantiæ sunt in subiecto: cum de nullo prędicentur secundum accidens, homo enim de subiecto quodā homine dicitur, sed in subiecto nullo est. Itidem animal de subiecto dicitur, & in nullo est subiecto. Amplius eorum quæ sunt in subiecto, rationem de subiecto prædicari est impossibile: etsi nomen prædicetur, vt iam ostensum est: at secundarum substantiarum nomen de subiecto prædicatur & ratio: vt hominis & animalis nomen & ratio, de quodam homine dicitur vt de subiecto. Non igitur secundæ substantiæ sunt in subiecto. Quare palàm erit omni substantiæ conuenire, non esse in subiecto. Verum id non soli competit substātiæ, sed & earum differentijs: vt rationale de homine dicitur, vt de subiecto, pariter bipes, & in nullo est subiecto. Deniq; differentiarum substātialium non solum nomen dicitur de subiecto, sed & ipsa ratio: vt rationalis & bipedis ratio de homine dicitur vt de subiecto: non igitur differentiæ substantiales

ſunt in ſubiecto. Accidentales tamen eſſe in ſub⸗iecto nihil prohibet: vt album, nigrum, ſimum, aquilinum. Quare non erit proprium ſubſtantiȩ non eſſe in ſubiecto. Ex hoc deprehendes textu differentias ſubſtantiales non eſſe ſimpliciter in genere ſubſtantiæ. Nec proprijſſimè dici ſubſtan tias: quòd ſi dicerentur ſubſtantiæ, vt primæ & ſecundæ ſubſtantiæ, eſſet proprium ſubſtantiæ non eſſe in ſubiecto, quod tamen abnegat Philo⸗ſophus. non tamen hinc ſumas anſam ratiocinā di differentias ſubſtantiales accidentium nume⸗ro & nomenclaturæ aſcribi debere, licet (vt in⸗quit diuus Auguſtinus) videātur vim tenere qua litatis, quia non quid ſit res, ſed qualis ſit demon ſtrant. Verum quādo à genere prima oritur dif⸗ferentia, & ſic ſequitur ſpecies, in accidētibus nō debet numerari: Atque ideo Ariſtoteles eam ſi⸗gnificatione quidem mixtam dixit, virtute autē inter vſias habendam decreuit. Eadem enim in hac inueniri pronuntiat, quæ in cæteris ſubſtan⸗tijs reperiuntur, id eſt, cum ſubiecto poſſe, & no⸗men & rationem habere conſimilem. Cum enim greſſutum hominem dicimus, in ſubiecto idem, & vocabulum & eius rationem eandem poſſu⸗mus inuenire. Socrates enim & homo eſt & greſ⸗ſutus. Hæc ille. ¶Argumentaberis: Omnis res aut accidens eſt, aut ſubſtātia: ſed differentia ſub⸗ſtantialis eſt res, & non eſt accidens, igitur eſt ſubſtantia. minor probatur: differentia ſubſtan⸗tialis non eſt in ſubiecto, igitur non eſt accidens: conſequentia eſt bona. Amplius, accidentia in ſubſtantiam ſubiecti veniunt: quæꝗ permutata

naturam ſubſtãtiæ non perimunt. perempta autem differẽtia ſubſtantiali, neceſſe eſt id cuius eſt, interire: igitur nõ eſt accidẽs. ¶Cõcludit Boëtius Ariſtoteli accedẽs, & cui propius accedere cupio, differentiam neque ſolum ſubſtantiam eſſe, neque ſolũ qualitatem : ſed quod ex vtriſque cõficitur, ſubſtantialem qualitatem: quæ permanet in natura ſubiecti. atque ideo quoniam ſubſtantia participat, accidẽs nõ eſt: quoniã qualitate, à ſubſtãtia relinquitur: ſed quoddã medium inter ſubſtãtiam & qualitatem: hæc ille. Ex Boëtij cenſura neganda erit maior argumenti propoſiti, licet paſſim concedatur. Sed omne quod eſt, aut eſt ſubſtantia, aut accidens, vel medium inter ſubſtantiam & accidens: & ita maiorem intelligẽdo protrita talis enuntiatio à veritate non abhorreret, ſed conſequentia facta denegaretur. ¶Cõtendet quiſpiam probando ſubſtãtiam eſſe in ſubiecto. Partes ſubſtantiæ, cenſentur ſubſtantiæ : & ſunt in ſubiecto, cũ ſint in aliquo , ſcilicet in tota ſubſtantia, igitur ſubſtantia eſt in ſubiecto . ¶Hanc diluit rationem Ariſtoteles, dicens: *Non uos conturbent ſubſtantiarum partes, quæ ita ſunt in toto, quaſi in ſubiecto ſint : ne fortè cogamur eas non eſſe ſubſtantias confiteri*. *Non enim ſic dicebantur eſſe, quæ ſunt in ſubiecto: ut quaſi partes eſſent in aliquo*. quamuis igitur ſubſtantiarum partes ſint in toto, non tamen ſunt in aliquo, vt in ſubiecto, cũ de nullo accidentariè prædicẽtur. ¶*Ineſt autem ſubſtantijs & earũ differẽtijs uniuoce prædicari*. Hac ſecunda cõmunitate docet Philoſophus ſecundas ſubſtãtias & earũ differẽtias de primis prædicari

vniuocé. Nam secũdarum substãciarum species de primis vniuocè prædicantur: vt homo de Socrate & Platone,& de specie genus vniuocè prædicatur,igitur & de prima substãtia genus vniuocè prædicabitur. Nam quæcũq; de prædicato dicuntur,eadẽ & de subiecto dicuntur. Sed genus, vt animal,de hoc prædicato homo dicitur,igitur & de subiecto illius.at prima substãtia, vt Socrates,hominis est subiectũ, igitur & animal de Socrate vniuocè dicetur. Amplius primę substãtiæ, rationem suscipiunt speciei & generis: vt Socrates est animal rationale mortale,& substãtia animata sensibilis. Si igitur species de prima substãtia eadem ratione & definitione prædicetur,pariter & genus, merito secundæ substãtiæ de primis vniuocè dicentur. Et non minus secundarũ substãtiarum genus dicitur vniuocè de specie & primis substantijs,q̃ de primis substantijs. Nam eadẽ animalis ratio, dicitur de homine & de Socrate:cum genus & de specie & indiuiduo prædicetur. Similiter secundarũ substãtiarum differentiæ vniuocè prædicantur de primis substantijs & earum speciebus. Nam rationem differẽtiarum, suscipiũt species & indiuidua: rationale enim nõ alia ratione dicitur de homine & de aliquo homine. Cũ quæcunq; de prædicato dicũtur, eadem & de subiecto dicuntur. ¶*Omnis substãtia uidetur hoc aliquid significare.* anteq̃ moliar hanc tertiã interpretari cõmunitatem: quídnam sibi velint hæc, significare hoc aliquid, significare quale quid, ostẽdã. ¶Significare hoc aliquid, est notione absoluta & singulari substãtiã significare: vt Socrates.

nam cum sit prima substantia, notione absoluta & singulari, solum Socratem significat ¶Significare quale quid, est notione absoluta & cõmuni substantiam significare, vt homo, animal, & quæcunque secundæ substantiæ. ¶Hic aduertẽdum est qđ summa diligentia adnotauit Faber: cum res ipsas suis nominibus designamus, duplex qualitas reperitur. Quędam propria: & est singularis notio, qua res ipsa designatur. Et quædam cõmunis qualitas quæ & appellatiua: & est communis notio, vt speciei, generis. Notio singularis propria idcirco qualitas dicitur: quòd id quod designatur, pariter & re & ratione singulare est. Altera communis & appellatiua: quòd rebus ipsis quæ designantur reipsa non conuenit (non enim re ipsa communes vniuersaléſque existunt) sed solum ipsis cõuenit ratione, cum eas vocamus appellamúſque. ¶Sed forsitan dices, prima substantia, vt Plato, quale quid significat: nam absolutè substantiam notione singulari, quæ est qualitas significat, igitur quale quid significat. ¶Non oportet illam notionem singularẽ significare quale quid: & consequentia proposita venit abnegãda. quãuis enim illa notio singularis sit qualitas, non tamen quale quid significat. Nam quale designat notionem communem. ¶His vtcunque prægustatis, suadere conabor omnem substantiam videri hoc aliquid significare. Prima substantia vt exploratũ euadit, significat hoc aliquid. Nam cum Socratem aut aliquam indiuiduam substantiam nominamus, hoc aliquid significamus: cum talis substantia notione singulari & absoluta designa-

tur. Etsi omnis substãtia videatur hoc aliquid significare, non tamen omnis substãtia significat hoc aliquid: cum ipsa secunda substãtia nõ significet hoc aliquid: ipsa etenim de primis dicitur, & nõ est vnum numero subiectũ, vt prima substantia, cum dico homo, non hoc aliquid significaui: neq; enim singulare est hominis nomen, sed illa species intra se plurima indiuidua cõtinet, & animal genus multas intra se species includit: quare secunda substantia non significat hoc aliquid, sed quale quid. Videtur autem secunda substãtia hoc aliquid significare propter appellationis nũcupationísque figuram, quod quis quẽdam hominẽ, aut hominẽ, aut animal dicit. Dicit Boëtius quẽadmodum quãtitas quantum significat, & qualitas quale: sic etiam substãtia videtur hoc aliquid significare. ¶Sed inijcitur dubitatiõis scrupulus, an secunda substãtia in hunc modũ quale significet queãdmodum albũ. ¶Dubiũ dissoluit Philosophus, dicẽs: *Non autẽ simpliciter quale quid significat, queãdmodum album: nihil enim aliud significat album q̃ qualitatẽ: at species & genus circa substantiam qualitatem determinãt, qualem enim qnandam substantiam significãt:* hæc Philosophus. Qualitas secundarum substantiarum in indiuiduis est, quã vocant notionem communem absolutam: de ipsis enim p̃dicatur. Et fit determinatio circa substãtiam qualitatis, vt dicit Boëtius, vel quòd substantialis qualitas in genere & specie est: vel quod secundum quandam communionem subiectorum dicitur. Sed per se qualitas, vt album, neque vllius substantiam significat, neq; vllam commu-

nionem ſicut genus ſpecierum ſuarum, & indiuiduorum ſpecies oſtendit. ¶*Ineſt autem ſubſtantijs nihil illis eſſe contrarium*.hac quarta communitate oſtēdit ſubſtantijs nihil eſſe contrariū. Quid enim primæ ſubſtantiæ,vt Socrati aut cuidā homini contrarium aſſignabis?nihil ſanè. Secundis pariter ſubſtantijs nihil eſt cōtrarium,vt homini & animali. Propria enim contrarietas, eſt inter formas accidentarias maximè in eodem genere diſtantes, vt caliditas propriè contrariatur frigiditati: ¶Contendet quiſpiam,elementa, vt ignis & aqua ſunt ſubſtantiæ, & tamen contrariātur: cum ab aqua ſuffocetur ignis. ¶Inficiari oportet elementa ſimpliciter eſſe cōtraria. Si tamen abſurdè dicātur contraria, id ſanè intelligendū eſt ipſa eſſe contraria per accidens,quatenus vnum elementū,vt ignis habet qualitates aqueis qualitatibus contrarias. De hoc tamen negotio plenius in Phyſicis diſceptabitur.¶Non putat Philoſopus hanc cōmunitatē eſſe propriā ſubſtantijs: quia nō ſolum cōpetit ſubſtantijs.quātitati enim conuenit,vt bicubito,tricubito,denario,& huiuſmodi quantitatibus nihil eſt contrariū. ¶Fortè quis dicet,magnum paruo cōtrariari,igitur quātitati aliquid eſt contrariū.¶Verum ita ne ſit an ſecus,nihil habet ratio momenti in cōmunitatē. Si quis enim magnum,& paruū quantitates confirmet, non tamen definitæ quantitates erunt. Nam vt dicit Boëtius,Quantum ſit magnum vel quantū paruum,non definit qui loquitur.eodem modo etiam in multis atq; paucis.Quare ſi quis hæc quantitates eſſe dicat,indeterminatas inde-

finitáſq; eſſe confitebitur. Dicit autē Ariſtoteles determinatæ quãtitati nihil eſſe cõtrariũ,vt duobus vel tribus,vel lineæ vel ſuperficiei. ¶*Videtur autem ſubſtantia nõ ſuſcipere magis & minus.* Hac patefacit cõmunitate ſubſtantiã nõ ſuſcipere magis nec minus,vt hæc ſubſtãtia homo,nõ eñ homo ſecundũ idipſũ quod eſt,eſt magis homo aut min⁹ homo q̃ fuit aut erit. Nã ſecũdũ id quod eſt, aĩa rationali ꝑpēditur,quę nihil intēſionis nihilq; remiſſionis admittit in eo qđ eſt hominis ſubſtãtia. Suſciperet autē ſubſtãtia ſecundũ id ipſũ quod eſt,magis & minus,ſi ſecundũ ſuijpſius intēſionē remiſſionémq;,magis & minus diceretur: perinde album ſecundũ idipſum quod eſt, ſuſcipit magis & minus:poteſt enim aliquod corpus fieri altero albius,& minus albũ:vt liliũ lana eſt albius: lana autem lilio minus alba. cõtingit pariter idē corpus fieri magis album ſeipſo q̃ prius fuerit,& interdum minus album dici poteſt. Quãdo igitur quicq̃ ſuſcipit magis & minus, ſeipſo poteſt fieri prius & poſterius,& altero magis & minus dici: vt innuit Philoſophus. nihil enim officit vt albũ magis album nunc ſit quàm prius ſeipſo. Subſtãtia autem vt homo non eſt magis aut minus homo,aut ſeipſo prius & poſterius,aut altero homine, & ita de reliquis quibuſcunq; ſubſtãtijs. Non igitur ſubſtãtia ſuſcipit magis & minus: ſed non eſt proprium ſubſtãtiæ: cũ alijs à ſubſtãtia competere poſſit. Circulus enim alio circulo nõ erit magis circulus, aut minus, nec duplũ magis duplum nec minus. ¶Digladiaberis. prius dictũ eſt vnam ſubſtãtiam magis, & alterã minus ſubſtã-


tiam eſſe, vt prima ſubſtãtia dicitur maxime ſubſtantia: & ſecundarum ſubſtantiarum ſpecies eſt magis ſubſtantia quàm genus, igitur ſubſtantia ſuſcipit magis & minus. ¶Hanc diluit rationem Philoſophus cum ita ait: *Dico autem, non quoniam ſubſtantia non eſt à ſubſtantia magis & minus ſubſtantia, (hoc enim dictum eſt quoniam eſt) ſed quoniam unaquæq; ſubſtantia, hoc ipſum quod eſt, non dicitur magis & minus*: hæc ille. Non latet quenq; peritum, quendam hominem cum ſit ſubſtantia magis eſſe ſubſtantiam ab homine, vt à ſpecie, q̃ ab animali, & primam ſubſtantiam ſecunda magis eſſe: non tamen ſecundum idipſum quod eſt, ſed ꝙ re ipſa talis ſit, qualis ratione deſignatur. Nã inſinuatur ſingularis, & re ipſa ſingularis eſt. Secũda autẽ ſubſtãtia quãuis re ipſa nõ ſit vniuerſalis, ratione tamen eſt vniuerſalis. magis autem tale eſt quod re & ratione tale eſt, quàm quod ratione ſolum. ¶*Maxime proprium ſubſtantiæ eſſe uidetur: quòd cum unum & idem numero ſit, contrariorum ſuſceptiuum eſſe*. Hac ſexta communitate oſtendit ſubſtantiam eſſe contrariorum ſuſceptibilem, quæ cum ſit vna & eadem numero, id eſt re ipſa vna, contrarijs formis tranſmutari poteſt, vt homo ſanus poteſt eſſe æger, & ex albo in nigrum decumbere. Nihil autem eorum quæ non ſunt ſubſtantiæ re ipſa contrarijs tranſmutari poteſt: velut color qui eſt vnus & idem numero non dicitur albus & niger. Nec actio vna & eadem numero, aliquãdo ſtudioſa, & aliquãdo mala. & ita in reliquis quę ſubſtãtiæ rationem nõ ſortiuntur. Quare proprium primo ſubſtantiæ

dici poterit, cum ſoli cõpetat ſubſtantiæ, poſſe ad contraria decũbere, & nõ omni: nam cælo cõtrarietas copulari nõ poteſt, aliter corruptioni ſubijceretur. ¶Inſurges: Oratio contrariorũ eſt ſuſceptibilis: vt iſta, Socrates ſedet, quæ poteſt eſſe vera & falſa, & non eſt ſubſtãtia: igitur non ſola ſubſtãtia contrariorũ eſt ſuſceptibilis. ¶Hanc facile eſt ex Philoſopho diluere rationem. *Si quis exiſtimet orationem ſuſcipere contraria: differenter tamen admodũ, & longe aliter q̃ ſubſtãtia. Nam cum ipſa ſubſtantia ex uno contrariorũ in aliud deuergit, mutatur.* vt aqua cũ ex frigido in calidum tranſmutatur: hæc enim mutatio fieri non poteſt niſi alteretur aqua à frigido in calidũ. Pariter homo ex ſanitate prolapſus in ægritudinem, mutatur. Oratio autẽ ex vero in falſum deficiens perſiſtit immobilis. vt hęc oratio, Socrates ſedet, Socrate ſedente aut ſurgente nõ mutatur: fit enim eodẽ ſignificatu immota, q̃uis res ipſa ſcilicet Socrates mutetur, cum ex ſedente fit ſurgens. Quanuis igitur oratio ſuſciperet contraria, non tamen eo modo quo & ipſa ſubſtãtia. Nam ſubſtãtia ſecundum ſui mutationem eſt ſuſceptiua contrariorũ, non autẽ oratio. ¶Secundo. *Si quis putet orationẽ ſuſcipere contraria, hallucinatur plurimũ, & à uero exorbitat. Non enim oratio ſuſceptibilis eſt cõtrariorum, quia cũ nunc uera, nunc falſa ſit, aliquid ſuſcipiat: ſed uera falſáq; dicitur, quòd circa aliud, ſcilicet rem ipſam cuius eſt propoſitio, facta ſit quædã paſſio & mutatio.* Ex eo enim oratio vera vel falſa cenſetur, quia res ipſa eſt vel nõ eſt. nõ autẽ quia cõtraria recipit. Nam ſatis notum euadit hanc eſſe

veram, Socrates ſedet, eo ſedente, quia ita eſt vt talis propoſitio denuntiat: non autẽ per quandã acquiſitiuã veritatem. & hanc dici falſam, Socrates eſt Plato: quia nõ ita eſt vt ſignificat, nõ autẽ per quandã aduentitiã falſitatẽ, quã ſomniarunt animi lippitudine laborãtes. ¶Surrepit ambiguitas: Quænã ſunt ſubſtãtiæ contrariorũ ſuſceptiuæ: & quę à contrariorũ ſuſceptione reijciuntur? Nam aliquæ non poſſunt ſuſcipere contraria, vt ignis calidus, nunq̃ à frigore tranſmutabitur, & aqua humida nunq̃ efficietur ſicca. ¶Dicendum eſt ſubſtãtias ea poſſe cõtraria ſuſcipere, quæ nõ ſunt ab exortu naturæ eis inſita, vt cũ nõ fuerit hominis naturę inſita albedo, poterit homo ſuſcipere albedinẽ & nigredinẽ: illæ autẽ ſubſtãtiæ inſitã habẽtes à natura quandã qualitatẽ, oppoſitã ſuſcipere nõ poſſunt: vt ignis cũ à natura ſit calidus, frigiditatem ſuſcipere nequit, nec aqua (cuius naturæ ſubſtãtiæq; humiditas immutabiliter adhęret) à ſiccitate trãſmutari poteſt. Nihil enim ſuſcipit quicquid illi ſubſtãtialiter adeſt. Suſcipere enim dicimus aliquid, vt ait Boëtius, de rebus extrinſecus poſitis & præter ſubſtantiã conſtitutis. Quoniã igitur in ſubſtantia ignis calidũ eſt, ignis calorem non ſuſcipit. Quocirca neq; eſt ignis caloris ſuſceptibilis, neq; frigoris. Porrò, calor ignis & humiditas aquæ nõ ſolum qualitates dicũtur, ſed etiam ſubſtantiales ignis & aquæ qualitates. Quare dicendũ eſt Philoſophum non de ijs contrarijs loqui quæ ſubſtãtialiter inſunt: ſed de ijs quæ poteſt ſuſcipere vnaquæq; ſubſtantia, id eſt quod poteſt extrinſecus exhiberi: hęc ille. Adno-

tare licebit ex Boëtio qualitatū aliquas esse substā tiales, quæ à natura alicui substantiæ sunt insitæ. Et aliquas accidentarias, quæ ab exortu naturæ cū insitæ non fuerint substantiæ, possunt adesse & abesse. ¶Dubitatiūcula. Qualiter homo & animal possunt recipere contraria? Non enim in eo ꝙ de pluribus prædicātur, contrariorū susceptiua sunt: vt animal in eo ꝙ de speciebus dicitur: neq; sapiens est, neq; insipiēs: & homo in eo ꝙ de indiuiduis dicitur, neq; sanus neq; æger est: quónam igitur pacto recipere possunt contraria? ¶Duobus modis homo & animal spectātur, vno ꝙ de pluribus prædicantur: & eo non censentur cōtrariorum susceptiua. Altero ꝙ substātiæ sunt, & ꝙ indiuiduis substātijs præsunt, & hoc modo possunt recipere contraria.

¶De prædicamento quātitatis, Scholia.



Ilucidato omniū prædicamētorum nobilissimo, quod ei propius accedere videbitur, huic loco subscribemus: prius q̄ tamē quid de quātitate sentiat Aristoteles explicemus, ex dubij agitatione vt verum ipsum promptius patescat, intueri satagemus. An erat rationi consentaneum post substātię discussionem, de quātitate potius quàm qualitate disserere? ¶Boëtius hanc tribus rationibus ambiguitatem diluit. ¶Prima. Omnia quæcunq; sunt, simul atq; sunt, in numerum cadunt: omnis enim res, aut est vna aut plures: vnum vero vel plures, quātitatis scientia colliguntur. Sed non omnis res simul atque est, aliquam accipit qualitatem. Ipsa enim mate-

ria ſub quantitatis quidem principium cadit, ꝗ vna eſt: ſub qualitate vero minime. ipſa enim eſt interim à cunctis qualitatibus abſoluta: ſuperaddita vero forma, quadã afficitur qualitate. Per ſe autẽ numero quidẽ vna eſt, qualitate vero nulla. Quocirca ſi res omnis ſimul atq; eſt, cadit in numerum, non autem omnis res mox vt eſt, ſtatim ſuſcipiet qualitatem, recte prius de quantitate propoſuit. ℭVitaturus prolixitatem hoc vtere ratiocinio: Omnis res ſimul atq; eſt, cadit in numerum, non autem omnis res, mox vt eſt, ſtatim ſuſcipiet qualitatem, de rebus loquendo ſenſibus: igitur de quantitate prius determinauit ꝙ̃ qualitate. ℭSecunda. Omne corpus vt ſit, tribus dimenſionibus conſtat: longitudine, latitudine, altitudine. vt vero ſit corpus cum qualitate: tunc erit aut album, aut nigrum, aut quodlibet aliud. Et quoniam prius eſt eſſe corpus, pòſt vero eſſe corpus album: prius erit corpori tribus conſtare dimenſionibus quàm eſſe album: ſed tres dimenſiones & numero, & cõtinuatione ſpatij quãtitates ſunt. lõgitudo enim & latitudo & altitudo in quãtitatibus numerãtur: albũ vero qualitatis eſt. Quocirca ſi prius eſt, ex tribus conſtare dimenſionibus quàm eſſe album: prior erit qualitate quantitas. Ne lato quidem vngue ab hac deflectit ſententia Diuus Auguſt. dicens, accidentium omnium primum eſſe quantum, nec ſine cauſa: nam cum aliquid viderimus, id neceſſe eſt quãtũ ſit ęſtimare. ℭTertia. Quãtitas plura habet ſubſtantiæ cõſimilia. Nam quemadmodum ſubſtantiæ nihil eſt contrarium, & ſubſtantia non reci-

pit magis & minus. Qualitas vero & contraria suscipit,vt album & nigrum:& magis & minus, vt candidius & nigrius. Quòd si substantiæ similior quantitas est: recte post substãtiam de quãtitate proposuit. ¶*Quantitatis autem aliud est continuum,aliud discretum. & aliud quidem ex habentibus positionem ad seinuicem in ipsis partibus constat: aliud autem ex non habentibus positionem.* Diuidit Philosophus quãtitatem in continuũ & discretum.demum in quãtum constans partibus positionem habentibus, & in quãtum nõ confectum partibus positionem habentibus. ¶Videtur ostendere quãtitatem esse ipsum continuum aut discretum.quod si ita eueniat, substantiã continuam ab ipsa quãtitate non discrepare profiteri licebit,quod est absurdum. Quare ne lector optimus hoc hallucinetur ratiocinio,adnotare licebit nomine quanti,quãtitatem intelligi. Nam concretis denominatiuísq; huius prædicamẽti loco abstractorum seu denominantiũ vtimur: vt lineam & quantã & magnã dicimus:hanc tamen enunciationem loco istius,linea est quãtitas,seu linea est magnitudo sumimus: & potius dicendũ est, linea est quantitas q̃ linea est quãta. Cum autem dicimus lineã esse quantam, intelligi volunt illud quantũ esse formale. quod conuersim se habet cum eo quod est per se habere partem extra partem,cuius natura soli cõpetit quãtitati. Quantum autẽ formale à quãtitate nõ dissidet. ¶Cum autem dicitur homo est magnus,homo est quãtus:non idem volumus magno & paruo, vt magnitudo & quãtitas.cum à magnitudine dicatur

homo magnus:& quãtus à quãtitate,vt ab albe- dine albus. hoc quãtum vocant nõnulli quãtum materiale. Et conuertitur cũ eo quod est habere quãtitatẽ tanq̃ accidens eius, & solũ de eo deno- minatiue dici potest quod à quãtitate denomina tur,vt de Socrate magno aut paruo dicit. ¶Ad- uerte diligẽter magnũ,quãtum,& cõplura huius prædicamenti vocabula bifariam sumi posse:sci- licet vt denominatiua voce tãtũ, & vt re vocéq; denominatiua.Cum denominatiua sunt voce tã- tum,de solis dicuntur quãtitatibus:cũ vero re & voce denominatiua sunt,de substantia dicuntur: hinc bicubitum,interdũ quãtitatẽ duorũ cubitorũ intelligimus:interdũ dicitur substãtia huiusmodi quãtitatẽ habens.Similiter homo nõnunq̃ conce ditur corpus,vt corpus sit in hoc genere,& talis ꝓpositio huic respõdet:homo habet longitudinẽ latitudinẽ & altitudinẽ.Hãc assuetã locutionẽ æ- mulãtur Astronomi qui cęlos,corpora,magnitu- dinésq; appellant cælestes:q longitudinem,latitu- dinem,crassitiémq; in se contineant. Quare per- spicuum erit magnitudinem & corpus re pariter & voce nunc principale dici, nunc vero sola vo- ce principale.nec dissimile videbitur de binario, ternario & reliquis huiusmodi:quæ nunc nume- rantia,nunc numerata etiã ab Aristo.dici solent. Numerantia,numerísq; numerãtes dicũtur, cum omnino principalia sunt:numerata vero,cũ sola voce sunt principalia.At ea quæ re & voce talia sunt, proprie sunt talia:quæ vero altero tantum talia,quodãmodo iam improprie & communiter alia dicuntur.Ex his manifestũ euadet,quónam

pacto quantum de ipsa quantitate dici potest. ¶Adnotatu non indignum putabitur ostendere quid quãtum,& quotupliciter dicitur:quónã etiã modo quãtitas est diuisibilis.quãuis lõge vberior & plenior de his habenda sit in Metaphysicis disceptatio.Lectorẽ tamen olfecisse & forsan mira cum quadã voluptate nõ pœnitebit. ¶Quantum id dicitur(vt scribit Philosoph⁹decimotertio cap. 5. Metaphysicæ)quod diuisibile est in ea quæ insunt:quorum vtrũq; vel vnũquodq;, vnũ quid & hoc aliquid aptũ est esse. multitudo igitur quãtũ est quoddam,si numerabilis sit:magnitudo etiam quantum est quoddã,si mensurabilis sit.¶Ex eodem Philosophi fonte diducimus quantum in id quod in nõ continua(vt multitudo)diuidi potest: & in id quod in continua dissecari valet, vt magnitudo. ¶Plenius adnotare licebit,bifariam aliquid dici quãtum, per se scilicet & per accidens. Per se quidẽ, cum ex se habet quãtitatem,vel (vt alijs placet)quod habet partẽ extra partem,quocunq; extraneo dimoto.vt linea,superficies.Illud est quãtum per accidens, quod alterius præsidio fit quantum . Vel quod partem habet extra partem per quidpiam sibi extrinsecũ: vt musicũ, eodem quinto Metaph.cap.& album,eo quòd illud cui insunt,quantum quid est.¶Quantitas id dicitur quod per se in partes diducibile est:vt magnitudo,linea. Quantitatis enim per se est diuisio 6. Physicorũ.Partes intelligunt doctissimi extensionis,successionis & discretionis. Per se,substantiã & qualitatem à quantitate disiungit.Nam etsi homo in partes magnitudinis partiri possit:id tamẽ

non per se est,sed per alterum, quia videlicet ta∘ lis magnitudo in se lõgitudinem , latitudinem & profunditatem seu altitudinẽ continet. Qualitas pariter vt albedo, nigredo, quãuis per se habeat partes intensiuas,non tamen est quantitas. Nam solũ ratione quãtitatis,vt superficiei aut alterius, album dicimus esse quantũ,aut albedinẽ quãtam. ¶Extensiones sunt,longitudo, latitudo, altitudo quæ & crassities & profundũ dicitur. Philoso. in eodem cap. dicit eã magnitudinem quæ quidem ad vnũ continua est, esse longitudinem: quæ ve∘ ro ad duo,latitudo censetur:quæ ad tria, profun∘ ditas.Horum longitudo,linea: Latitudo,superfi∘ cies:Profunditas,corpus est.Addubitaret quispiã si nam longitudo possit esse sine latitudine,& id videtur sentire Arist.cũ dicit quandã magnitudi∘ nem ad vnũ continuã esse longitudinẽ.At in ad∘ uersam partẽ protrahes argumentũ,Nam omnis longitudo in aliqua est superficie, quare non erit longitudo sine latitudine. ¶Diuus Aug. huic re∘ spõdet dubitationi,dicens omissa latitudine quẽ∘ piam posse emetiri longitudinẽ mẽsuræ subiectã quæ græce γραμμὴ dicitur. Non quòd sit longi∘ tudo aliqua, quæ careat latitudine, sed quòd so∘ lam quis metiens longitudinem γραμμὴν metiri dicitur. Emensa vero cum longitudine latitudo, dicitur ἐπιφάνεια siue superficies. Si autem & altitudo fuerit mensuræ sociata, corpus cuncta perficiunt. Successiones, lationes, & tempora: discretiones, numeri, vt binarius, ternarius & huiusmodi. & ad has solas partes applicanda est quantitatis diffinitio. Nam si de partibus es∘

ſentialibus, aut partibus ſecundum intenſionem fiet ſermo, laberemur in errorem, & plurimum ab Ariſto. exorbitaremus. Homo enim eſt per ſe ſectilis in partes coeſſentiales, in animã ſcilicet & corpus: & tamen nõ eſt quãtitas. nã conſubſtãtiales partes non quãtitatem, ſed ſubſtantiã conſtituunt. Albedo pariter per ſe in partes intẽſionis diducibilis eſt, non tamen cenſetur quãtitas. Partes enim illæ non cõpingunt quãtitatẽ, ſed qualitatem. Erit igitur in ſola quãtitate extenſio, ſucceſſio, & diſcretio. Et extenſio ſoli quãtitati continuę aptatur, vt lineę, ſuperficiei & corpori: Succeſſio, tempori: Diſcretio, numeris. ¶Quantitas continua ea eſt, cuius partes ad terminum communem copulãtur. Partes intelligimus extẽſionis aut ſucceſſiõis: vt linea. Nam lineæ partes aliquo termino cõmuni cõnectũtur & iungũtur, ſcilicet puncto, vt ſit A B linea, & C punctum cogitatu & mente ſignatum. Lineæ datæ partes A C & C B eodẽ C puncto copulãtur, quod eſt terminus partis A C & terminus partis C B. Eſt enim A C finis, & exordiũ partis C B. Similiter ſuperficies, vt dicit Philo. eſt q̃titas cuius ptes termino cõmuni, ſcilicet linea cõiungunt, vt data vna ſupficie A B D F, pars vna ſit A D, C E. & altera C E, B F, tunc verum eſt dicere, illas duas partes termino cõmuni, ſcilicet linea C E coniungi. Superficies plana (quæ eſt breuiſſima vnius lineæ ad aliã extenſio, teſte Euclide in elementis primi libri) habet & recipit illas lineas ad ſuas extremitates, & hoc ſi fuerit Polygonia, id eſt multangula & recta. neq; huiuſmodi ſuperficiem duæ vnquã lineę concludẽt, vt

A C B

A C B
D E F

ſcribit Euclides in vltima petitione elemẽtorum primi libri. Sed ſuperficies plana circularis bene concluditur vnica linea quæ dicitur circunferentia, vt patet de circulo. ¶Partes temporis (quæ præteritum & futurũ ſunt) præſenti atomo, hoc eſt quodam inſtanti præſenti indiuiſibili, quod nunc aliquando vocant, copulantur. Nam quemadmodum partes lineæ punctis aut puncto iunguntur, ita & partes temporis inſtanti ſeu nunc connectuntur, vt dicit Philoſophus 4. phyſices, cap. 13. Et hæ temporis partes dicuntur partes ſucceſſionis: lineæ vero partes permanentes.

¶Quantitas diſcreta, eſt quantitas cuius partes nullo termino communi copulantur: vt ſeptenarius. illius enim partes quæ ſunt quaternarius & ternarius, nullo communi termino iungũtur, ſed ſemper diſcretæ manent: & hæc quantitas ſeu numerus, eſt in anima rationali. Nec mirari oportet ſi vis numerandi ſoli detur homini. Nam ſolum in anima rationali eſt numerus, à quo dicitur homo numerans, & illa quibus ſuos numeros applicat, dicuntur numerata, vt ſex homines quib9 admouetur ſenarius, res numeratę ſeu numerus numeratus appellantur. perinde atq; pannus cui apte applicatur vlna, mẽſurata panni vlna dicitur: dimenſio vero quę applicatur, eſt vlna dimetiens. Et quemadmodum à viſione alicuius coloris, ille color denominatur viſus, vt à forma accidentaria, qua perempta non amplius color percipitur viſu: ita à ſenario hominum animam inhabitante, ſex homines denominantur numerati: quo dimoto ſex minime dicerentur: & mul-

titudinem rerum à numero formali denominatam vocant numerum materialem, seu numeratum, de quo loquitur Philosoph⁹ secũdo de Anima, dicens numerum esse sensibile commune. Et hi numeri formales dicuntur discretiones per se cum ab illis res denominentur discretæ. Et sunt intraneæ animæ formæ: non quidem essentiales seu substantiales, sed accidentariæ: à quibus anima dicitur numerans. Hinc Plato diffiniebat animam, dicens ipsam esse numerum mouentem se, & quarto Physic. Philosophus & Commenta. vocant animam numerum numerãtem. ¶Vnde sunt numerãtia, sunt numerata, sunt & numeri. Numerantia sunt animæ numeros suos rebus applicantes. Numerata quibus anima suos numeros accommodè applicat. Numeri sunt rationes discretæ seu instrumenta numerandi: sicut visio est instrumentum ad quidpiam visu percipiendũ. Anima enim suis notionibus vtitur vt quibusdã instrumentis. ¶Non eunt inficias Metaphysici numerum formalem esse quantitatem indiuisibilem formaliter denominantem aliqua dici arithmeticè plura, quem exactè diiudicant proficisci ab vnitatibus, quæ discretionem habent à numeris insectilib⁹. De his meminit Philosophus Physi. quarto cap. 12. dicens eundem esse numerum centum hominum & centum equorum, licet numerata sint diuersa: sicut enim eadem vlna potest applicari primo vni panno, & deinde alteri, & erit vterque eadem mensura mensuratus. Ita idem numerus potest applicari diuersis rebus numeratis, vt denarius decem hominib⁹, & decem

equis, & erit idem numerus decem hominum & decem equorum. Et si nõ fuerit vlna panno applicata, nõ dicitur pãnus mensuratus: quãuis eãdem contineat, atq; cum ei applicabitur, quãtitatem. Ita si nõ fuerit ab anima numerus applicatus reb⁹ numeratis, nõ dicẽtur duę, neq; tres, neq; alio quoq̃ numero numeratæ, q̃uis eandẽ ac quę numerãtur habeãt multitudinẽ: hæc dicibilia, binarius, ternarius, significãt abstractè numerũ formalem: quorũ denominatiua, duo, tria, pro rebus numeratis accipiũtur, animę numerũ designãdo.

¶Contendet quispiã, probãdo talem numerũ formalẽ ab anima nõ distingui. Fertur ille numerus esse numerans: quo modo igitur cũ numerus numerãs dicatur, & anima numerãs, anima nõ dicetur numerus numerãs. ¶Bifariam aliquid numerans dicit. Principale, quod rebus rationẽ numerãdi applicat: Instrumentũ quod applicatur. ideo numerus formalis seu quãtitas discreta, numerans dicitur vt instrumentum. Anima autem dicitur numerans vt principale: perinde ac homo palmo metiens, mensuránsq; dicitur, & palmus, palmarísq; quantitas mensurans: sed hæc vt instrumentum, illæ vero vt principale, non tamen homo etsi mensurans sit etiam præcipuum, vnq̃ dicetur quãtitas mensurãs, sed mensurans duntaxat. Ita quoq; anima præcipuũ numerans, neq; vnq̃ dici debebit numerus numerãs, vt dicit Faber qui in ea est opinione, sed vt hic solus palm⁹ q̃titas mẽsurãs dicitur: ita & illic solus numerus animæ & ratio ipsa, intimúmque numerandi instrumentum numerus numerans appellatur.

¶Cum in tota numerorũ ſerie vnitatẽ ſeu monadem conſpiciam⁹ eſſe principium, fontem & radicẽ ſine qua numerus ſtabiliri & perfici nequit: dicere neceſſe eſt veros numeros ex vnitatib⁹ coaceruari & cõponi, non tamen aſſerendũ eſt vnicã in animo ſufficere vnitatem ad numerandum. Si enim videar diutule & plus æquo obſtrepere, dicendo vnum, vnum, vnum: ita verboſè vnitatẽ applicãdo, nihil aliud mihi refero, q̃ vnũquodq; eorum cui applicui, eſſe vnũ, & ita incõpoſite applico. Cum vero hanc numerãdi ſeriem obſeruaturus, ita applico vnũ, duo, tria, quatuor, quinq;, & ita de ſingulis, cõpoſite applico: & quot ea ſint, facilius agnoſco. Qui enim dicit duo, vnitatẽ vnitati adiunctã cõpoſite applicat: qui tria, tres vnitates compoſite applicat. Nihil enim aliud eſt binarius quàm duarum vnitatum cõpoſitio, & ternarius trium. Et ſecunda vnitas primæ adiecta binarium primam numeri ſpeciem conficit: & duabus primis tertia adueniens, ternarium creat: & in hunc modum prioribus aliã vnitatem adijciendo multas numerorum ſpecies cõponeres. Noua enim vnitas alijs adiuncta nouã ſpeciem effingeret, nouúmq; numerũ cõſtitueret. Eſt enĩ vnitas omnium numerorũ effectrix & creatrix, quã dicunt nonnulli emanare propinquius à quãtitate cõtinua. Nam ex diuiſione continui cauſatˉ numerus, tertio Phyſi. igitur ex diductione numeri progignetur vnitas eiuſdẽ numeri formatrix.

¶Obrepit ambiguitas. Cum ex vnitatum varietate diuerſi cõſſentur numeri, nónne prima, ſecũda, & tertia vnitas diuerſæ ſunt naturæ? & nu

meri,vt binarius,ternarius,quaternarius? ¶Non licet inficiari vnam cum altera vnitatem eiusdē esse naturæ,nec fateri iuuabit omnem vnitatem omni vnitati,& omnem binariū binario esse affinem & assimilem. ¶Sed hāc diluere oportet ambiguitatem,an eodē modo se habeat vnitas priorib⁹ aduenies,vti albedo albedini aduenit. Quòd si nullum posueris discrimen , cur vnitas prioribus adueniēs nouam creat speciem: albedo vero albedini adiecta , non efficit nouam coloris speciem? ¶Annotationes Iacobi Fabri Philosophorū optimi,scitu nō indignas,& his scrupis diluendis plurimum conferentes huc ascitas voluimus. ¶Specierum (vt inquit) quædam sunt quas sola rationū diuersitas parit:vt data magnitudine A H indefinitę quantitatis : cuius portio A B sit quantitas digitalis,A C palmi,A D pedanea,A E cubitalis,A F bicubitalis,& A G,tricubitalis. Scrutandū erit an quantitates A B, A C,A D, A E, A F,& A G, sint eiusdem naturæ . Quod si quis neget,ratio oppositum suadebit.Sunt eiusdem totius partes, haud secus ac partes albedinis eiusdem totius. Deinde percontaberis , si nam digitus, palmus, pedaneum,cubitus,bicubitus,tricubitus sint vna species q̄titatis,an diuersæ?¶Dices esse diuersas, non quia res significent diuersarum naturarum: significant enim q̄titates A B, A C,A D,A E,A F,& A G,quæ eiusdem mōstratæ sunt esse naturæ: sed sola ratione,diuersæ sunt: hunc in modum binarius, ternarius , & quaternarius, species diuersæ erunt, etsi vnitates ex quibus conflantur eiusdē sint naturæ : diuersæ tamen sunt numerandi ra-

A
B
C
D
E
F
G
H

tiones, & diuersa numerandi instrumēta animæ, binarius & ternarius. ¶Aliæ sunt species, quarū non sola ratio sed & pariter rerum diuersitas, diuersitatem parit: vt albedo & nigredo: & huiusmodi species maximè diuersæ sunt. Sunt enim re & ratione diuersæ, primæ autem minus diuersæ: nā sola rationis diuersitate discriminātur. ¶Sciscitaberis an binarius, ternarius, quaternari⁹ vnū sint. ¶Respōsio. Quilibet numerus in anima, vnū est: non continuum nec intēsum sed discretum: quēadmodum vna linea, vna magnitudo, vnum est continuum, & albedo vnum intensum. Vnitas autem vnitati adiuncta non extendit, nec intendit, sed discernit, discretúmque reddit numerū. Est enim vnitas extra vnitatem secundū discretionem, sicut magnitudo extra magnitudinem secundum dimēsionem, & qualitatis gradus extra gradum secundum intensionem. ¶Sed dicet quispiam, Si numerus sit vnum, nónne numerus erit vnitas? quod tamen est absonum. ¶Dices, nō oportere numerū esse vnitatem, quāuis sit vnum discretū. Est enim vnitas insectilis & indiuidua, & simplex numerādi principiū. Omnis autē numerus diuiduus est: sed ab vnitate numerus denominatur vnus, & vna numerandi ratio. ¶Iam perspectū habes qui veri & formales sint numeri, vbi sint, quòd non sufficiat vnitas, quo pacto numerorū species cōstituūtur: & quo modo sint diuersæ, & quo modo numerus vnū dicatur. Nūc facilè est intueri nullā q̄titatē continuam esse discretā, nullā pariter substantiā esse q̄titatē: non enim aliter rerū dimēsiones sunt in materia atque

colores,aliæq; rerum formę.Deniq; nulla q̃titas continua aut discreta est qualitas , quæ sit habitus,aut dispositio:naturalis potẽtia,aut impotentia:passio,aut passibilis qualitas.Si enim à substãtia ipsa q̃titas non esset discreta , nec à qualitate: multa inaudita & absurda ; & quæ Aristoteli refragarentur in apertum prosilirent . Futura tamen est de his vberior in Metaphysica disceptatio. ¶Scrutaberis,an re ipsa quãtitates cum cõtinuæ tum discretæ ijs qualitatibus , quæ figuræ & formæ appellantur, coincidant . ¶Respondetur illas quantitates non esse re discretas ab illis qualitatibus:vt trigonus , tetragonus, pentagonus in Arithmeticis , nihil aliud sunt re ipsa,nisi numeri illi qui huiusmodi formas admittunt : & triangulus,quadratum,circulus, & huiusmodi in Geometricis , nihil aliud re ipsa sunt q̃ plana & superficies illæ , quæ ex sua terminatione huiusmodi figuras exprimunt . ¶His commodius dilucidatis ad primã quantitatis partitionem enodandam accingemur. Q*uantitatum alia continua, & alia discreta.* E*st autem discreta quantitas,ut numerus & oratio : partium enim numeri nullus est communis terminus quo partes iunguntur : ut denarij partes , quinq; scilicet & quinq; , nullo termino communi copulantur , sed discretæ manent .* P*artes etiam orationis nullo termino communi uinciuntur :non enim est communis terminus ad quem syllabæ copulentur , sed unaquæq; diuisa est.* C*ontinua, ut linea , superficies , corpus , tempus , locus .* Lineæ siquidem partes punctis copulantur , quæ sunt termini communes. Terminus enim com-

munis, vt hoc in loco sumitur, est qui cum finit aut inchoat, duabus partibus conuenit:vni vt finis,& alteri vt initium : vt punctum quod adeo paruũ est,vt in partes secari non possit. ¶Si quis diuidat lineam quæ est longitudo sine latitudine,duas in vtraq; diuisiõe lineas facit:& vtriusq; ex diuisione lineæ, singula in extremitatibus pũcta redduntur , lineæ enim termini puncta sunt. Quocirca,cum illa linea diuisa non esset, vtraq; puncta quæ in vtrisq; linearum capitibus post diuisionem apparent,simul antea fuisse intelliguntur,quæ sunt in diuisione separata:hæc Boëtius. ¶Tempus quantitatis continuæ speciebus adijcitur:quod in spatio , id est in lõgitudine & in breuitate consideratur: *& partes temporis, præteritũ scilicet & futurum,præsenti tẽpore,copulantur:quod præteriti est finis,& futuri initium: loci pariter partes,termino communi connectuntur:locum enim quẽdam,partes corporis obtinent,quæ communi termino iunguntur: ergo & loci partes quæ singulas corporis partes obtinẽt, ad eundem communem terminum copulantur,ad quem & corporis partes.* Si enim cunctæ partes corporis locum aliquem tenẽt, & qui circa corpus est locus,per omne corporis spatiũ partésq; diffunditur:omnes corporis partes à loci partibus occupabuntur:quod si ita est,qui communis terminus coniungebat corporis partes, idem & loci partes coniunget . Erit igitur locus quantitas continua perinde ac corpus. ¶Secũda quantitatis dissectio. *Quãtitatum quædam constãt partibus positionem in continuo habentibus:quædam uero partibus coalescunt minimè positionem in con-*

tinuo habentibus. Tria ſunt obſeruãda vt conſtet quantitas partibus poſitionem in continuo habentibus. Primum, vt partes eius alicubi ſitæ ſint, hoc eſt vbinam vnaquæq; illarum ſita ſit dicere poſſimus, ſurſum aut deorſum, ante & poſt, dextrorſum, ſiniſtrorſum, quæ differentiæ poſitionis & ſitus dicuntur: hoc autem intelligẽdum eſt de partibus, in quas cõtinuum diuiditur, vt duabus medietatib⁹, tribus tertijs, quatuor quartis, & ita deinceps. Quare qualitatis intẽſæ partes, non dicuntur habere poſitionem in cõtinuo: nihil enim de earum vnaquaq; aſſignabile eſt vbi ipſa ſit: cũ non ſint extra ſe ſecundum ſitum. ¶Secundũ, vt partes huiuſmodi ſint continuæ: quare numerus non conſtituitur partibus poſitionem habẽtibus: non enim numeri partes compingunt vnum cõtinuum, ſed diſcretionem efficiunt. ¶Tertium, vt partes ſint permanentes, quare tempus non cõſtat partibus adinuicem poſitionem habentibus. Sẽper enim volubilitate & veloci agitatione torquetur & aquæ decurrẽtis more fluit & labitur. Cum autem exploratũ habemus, hæc tria cuipiã quantitati competere, eam conijcimus conſtare partibus poſitionem in continuo habentibus: vt linea, ſuperficies, corpus: partes quippe lineæ alicubi ſunt ſitæ, vt perfacilè data una linea intueri poſſumus: denique illius partes ſunt continuæ & reſides, nec difficile eſt monſtrare ad quam partem caput alterius partis extremitáſq; coniungitur, & facile eſt ſuadere illius partes eſſe reſides & permanentes, non enim pereunt: ſed in loco in quo ſunt, permanent. Oratio autem voce effićta

(de qua hoc in loco fit mentio)& numerus,non constant partibus positionem in cõtinuo habentibus. Nemo enim monstrare potest partes orationis aut numeri, alicubi esse sitas, aut cum aliquo esse copulatas. ¶Digladiabitur quispiam: Partiũ tẽporis vna prior est, & altera posterior: pariter partium numeri & orationis,igitur tempus,numerus, & oratio, videntur habere partes positionem in continuo habentes.¶Hãc ratiunculam diluit Philosophus, dicẽs temporis partes habere ordinem, cum aliquid in tempore alio sit prius & aliquid posterius:nõ tamen positionẽ recipiunt.Nam anterius & posterius hic,sitũ & positionem non admittũt,sed ordinem:vt in tẽpore prima medietas secunda est prior. Et in numero prius est vnũ duobus, & duo tribus,ordine quodã numerandi. In tẽpore vero est ordo successionis,vt præsens succedit prius, & futurum posterius.Et in oratione cõijcimus ordinẽ prolationis: quia syllabæ eius modo longũ habent tẽpus,cum productæ fuerint:modo breue,cum fuerint correptæ.¶Contendes,probando numerũ dici quantitatem continuam. Partes siquidem numeri copulantur ad terminum communem, igitur numerus est quantitas continua: antecedens probatur, Lineæ bipedaneæ partes copulantur ad terminum communem, cum talis binarium cõtinui importat, cuius partes vinciuntur puncto, & linea bipedanea est numerus, cum sit ab anima secundum suas partes numerata, igitur numerus est quantitas continua. ¶Ostendit ratio nihil prohibere numerũ continuorum,esse quan-

titatem continuam:qui numerans non censetur, sed numeratus:cuius ratio non spectat ad quantitatem discretam, sed continuam:vt bipedanea linea, binarium continui importat, cuius partes copulantur ad punctum : ita dicēdum est de tripedanea superficie. Et quãuis numeri numerati vt partes continui copulentur ad terminum cõmunem,id solum fit per accidens : cum id minimè fiat ex ratione qua est numerus, sed qua est continuum,aut continui numerus:vt hæc dicibilia pedale, bipedale, tripedale: aut si mauis pedaneum,bipedaneum, tripedaneum, numerum explicantia,non sunt quantitatis discretæ, sed continuæ species,ad lineã,superficiem, & corpus indifferentes, vt scitè adnotauit Clichtoueus. Est enim pedale seu pedaneum cõtinuum, vnius pedis extensionem habens: Bipedaneum, duorum: Tripedaneum, trium. idem est dicendum de bicubito, tricubito. ¶Similis te potest admiratio pulsare de ipsius temporis ratione & natura. Cũ tempus quarto Physicorum, sit numerus motus secundum prius & posterius, quare potius quantitatis continuæ species censetur q̃ discretæ. Attribuit tamen Philosophus. 4. physico. cap. 12. ipsi tempori continui & discreti rationem. Quatenus inquit est continuum,est lõgum & breue, quatenus numerus,multũ & paucum.Et in eodẽ cap.& 5. metaphy. cap. 13. probat & tempus & motum esse quanta per accidẽs: quia inquit magnitudinem consequitur motus, & tempus motum, ex eo sunt quanta & continua & diuisibilia,sunt enim passiones eorum quæ per se sunt

diuiſibilia,motus eſt paſſio,non eius quod moue‐
tur,ſed quo aliquid mouetur, videlicet magnitu‐
dine,cuius eſt affectus.at magnitudo eſt quanta,
motus igitur eſt quãtus, verum cum tempus ſe‐
quatur motum, ſi motus ſit quantus,& tempus
erit quantum.❡Dilutio.Tempus,eſt numerus cõ
tinui qui à numero non diſſidet: & ipſe eiúſque
ratio ad quantitatem cõtinuam pertinet.Nume‐
rus enim continuorum dicitur:cuius partes co‐
pulantur ad terminum cõmunem,vt tempus bi‐
duum,triduum,bimus,trimus,quadriennis,quin‐
quẽnis numerum continui importat: cuius par‐
tes,dies videlicet & anni,atamo,inſectilíque tem
poris copulãtur. Et eorum quæ numero cenſen‐
tur,quædam manifeſtè numerũ,vt biduum duos
dies,triduũ tres,bimus annos duos,trimus tres,
quadriennis quatuor: & quædam occultè impor‐
tant,vt dies horas quatuor & viginti,annus mẽ‐
ſes duodecim,olympias annos quatuor, luſtrum
quinque,ſeculum centum. Et licet tempus dica‐
tur numerus motus, non tamẽ per ſe & ſine ad‐
iectione cenſetur numerus: modo numerus per
ſe pro numero diſcretorum accipi ſolet:quare tẽ‐
pus non dicetur ſpecies quãtitatis diſcretæ.Nul‐
lum etenim hoc in loco recipimus numerum,ni
ſi numerũ per ſe,quem vocamus numerũ diſcre‐
torũ: cuius partes non copulantur aliquo termi
no communi, & ipſe eiúſque ratio quantitati di‐
ſcretæ accommodatur. ❡Suboritur ambiguitas
quo modo oratio voce effuſa ſeu tenor oratio‐
nis, quantitas per ſe dici poſſet, cum huiuſmodi
tenor vox ſit:vox autem qualitas,hinc conijcere

quis videbitur orationem poni in genere qualitatis. ¶Operępretium fuerit adnotare rem plerumq; pluribus accommodari prædicamẽtis: ſed ratio ei adiecta ex communi facit propriam & vnius prædicamentorum eſſe generis. Res enim quæ ſubſtantia eſt, ſubſtantiæ & ad aliquid communis eſt: cum per ſe ſubſiſtat & ad aliud referri poteſt. Ratio tamen ſubſtantiæ adueniens eam ſubſtantiæ appropriat: vt cum dicitur homo, aut equus, aut animal, aut aliquid huiuſmodi, nihil præter ſubſtantiam deprehendimus: ratio autem ad aliquid occurrens, vt cum dicitur eadem aut diuerſa appropriat ad aliquid. Nam dicitur idem & diuerſum proprie ad aliquid, haud ſecus de voce: nam res ipſa quæ vox eſt & quãtitati & qualitati communis eſt: ratio tamen quantitatis ei adueniens eam in quantitatem aſciſcit: vt cum ipſa vox tenor orationis appellatur. Eſt enim tenor, quædam ſyllabæ orationis longitudo aut breuitas: & cum ratio qualitatis aduenit, qualitati determinat: vt quatenus vox dicitur. Ideo vox propriè qualitas eſt, & tenor vocis propriè quãtitas. Nec ratio vocis dicitur de ratione tenoris vocis, cum hæc ſit impropria prædicatio, tenor vox eſt. nec te debet admiratio diſcruciare. Nam Philoſophus tertio Phyſicorum eundem actum oſtendit actionem, paſſionémque eſſe: ſed ratio adueniens, illum determinat: vt cum ratio actionis quæ eſt ab aliquo aduenerit: actus ille actio dicitur, & non paſſio: cum vero ratio paſſionis quæ eſt eſſe in aliquo aduenerit, paſſio ſolum dicetur: id caliditatis exemplo ſuadebis facile. Et

quamuis eadem res sit actio & passio,hæc tamen prædicatio actio est passio , non dicetur propria: cum longe diuersa sit vnius extremi ab altero, ratio : at ratio rationi extranea , vt docti testantur, nunquam prædicationem propriam recipit. Authores enim ea quæ propria sunt & accommoda , maximè curant: quæ si desunt, quæ propius ad ea accedunt , considerant . ¶Surrepit & alia dubitatiuncula,an ea res quæ vox est,potius qualitas, an quantitas dicenda sit . ¶Dilutio. Ea res quæ vox est , magis qualitas q̃ quantitas nominari debet:quia qualitati familiarior est q̃ quãtitati , & plurimas in ea rationes habet . Et res vni prædicamẽtorum magis addictæ & vsitatiores, potius illius prædicamenti nomen sortiũtur q̃ alterius cui minus sunt addictæ, & minus affines.Hinc coniectamus superficiem magis quantitatem q̃ qualitatem dici, tametsi re ipsa vtrunque sit.Et cum non magis vni prædicamẽtorum q̃ alteri est addicta,ęque vsitatas admittet vtriusque rationes : vt res ipsa quæ est calefactio, cum non magis actioni quàm passioni copuletur,non magis actio quàm passio appellari solet . ¶*Proprie autem quanta dicuntur quæ dicta sunt:alia uero omnia secundum accidens* . Ne quis opinetur accidentario seu per accidens quanta huic ascribi prædicamento: docet Philosophus quæ pauloante enumerata sunt huius prædicamẽti dicibilia, esse per se quanta. Alia vero quæ potius ad aliud prædicamentum deflectuntur , esse per accidens quanta: vt album dicitur multum , non idcirco quòd albedo sit quantitas : sed quoniam multa

fit superficies in qua illud albũ sit. Si enim multum fuerit spatium in quo album sit: multũ erit album: quo circa nullã per se quantitatem habet albedo, sed quoniã in aliqua quantitate, id est superficie constituta est, dicitur quãtitas per accidens. Nec mireris vnum per se tale esse, & alteri cõparatum solum esse per accidẽs: vt albedo per se est color, id est ex sua natura, à qua non per se dicitur substantia colorata (cum substantia quatenus substantia non dicatur talis, sed vt colòrem à quo denominatur, recipit) & eadẽ albedo quantitati iuncta, est per accidens quanta. Actio pariter non sui ratione sed quãtitatis longa dicitur, quòd diutino tẽpore sit acta. Et eadem lege ægritudinem dicimus multam, cum longo tempore hominem discruciauit: & motum multum, quòd multo tempore factus sit. ❡*Quantitati nihil est contrarium.* Hac prima quantitatis communitate docet Philosophus: quãtitati nihil esse contrarium. *Definitis primum nihil aduersatur: ut bicubito nihil est cõtrarium: indefinitis pariter ut lineæ superficies cõtraria nõ est.* Interpretantur hanc proprietatẽ plurimi de ipsis dicibilibus: cuius sensus est, Dicibili huius prædicamẽti nihil est contrarium: vt huic dicibili bicubitum non est aliud dicibile contrarium. Est autem propria secundo quantitati, nam omni conuenit quantitati & non soli: cũ alteri à quantitate conueniat, scilicet substantiæ. ❡Quãtitatem vocamus determinatam, quæ certa numeri quantitate censetur: vt bicubitum q̃d binario determinatur, & tricubitum ternario. Quantitates determinatæ sunt hæ: bicubitum,

tricubitum, quadricubitum : dico,tria, quatuor, quinq;,hora,dies,menſis,annus . ¶Quantitas indeterminata , eſt quæ non cenſetur certa numeri quantitate,ſeu termino certi numeri: vt linea, ſuperficies, corpus, numerus . ¶Obijcies in proprietatem:magno aduerſatur paruum, magnum autem & paruum ſunt quantitates , igitur quantitati aliquid eſt contrarium . ¶Dilutio, vtraque pars antecedentis ex Philoſophi cenſura deneganda eſt . Non enim magnum & paruum ſunt contraria.Nam ſi contrariarentur , contingeret idem ſimul ſuſcipere contraria : quod eſt abſurdum : licet ſubſtantia ſuſceptibilis ſit contrariorum,non tamen ſimul contraria recipit . Si magnum paruo contrarietur,&cõtingit ſimul idem vt montem dici magnum & paruum , magnum quidem ad vnum,& paruum ad alterum : igitur idem ſimul contraria ſuſciperet . Quòd ſi id accidat,ea ipſa eueniet ſibimet eſſe cõtraria . Nam cum idem ſit magnum & paruum, magnum autem paruo contrariatur,igitur idem ſibi eſt contrarium.Nec dicendum eſt magnum & paruum eſſe quantitates,nihil ſimpliciter eſt quantum,niſi per ſe ſit quãtum:magnum autem non eſt per ſe magnum,ſed ad alterum refertur,vt mons ad alterum montem dicitur magnus . Amplius, Quæ per ſe quanta ſunt,quantitatem ſignificant: vt bicubitum & tricubitum : magnum autem & paruum non ſignificant quantitatem , ſed ad aliquid: igitur quãtitatum numero non ſunt aſcribenda . Deinde ſi quis affirmet magnum & paruum eſſe quantitates,nihil illis videbitur eſſe cõ-

trarium:quod demõſtratur,Quod non poteſt ſumi per ſeipſum,ſed ad ſolam alterius relationem refertur, contrarium nequit ſuſcipere:at magnũ & paruum ſine alterius conſideratione ſumi non poſſunt, igitur nihil illis erit contrarium. ¶Hoc pugnabis in primam proprietatem argumento, recta linea, lineæ curuæ contraria eſt,pariter ſuperficies alba, nigræ ſuperficiei, & tẽpus tempori,ſcilicet dies nocti, igitur manifeſtum eſt quantitati aliquid eſſe contrarium.¶Dilues ſeiunctim argumenti particulas. Primùm negabis rectam lineam eſſe contrariam curuæ.Nam recta linea in eo quòd linea eſt,minime cenſetur curuæ contrariari, ſed quatenus recta eſt:quare linea non eſt per ſe lineæ contraria, ſed ipſa rectitudo curuitati aduerſatur. Argumẽntum ſolum oſtendit lineam quatenus qualis eſt per accidens, lineæ quali contrariari,ſed non quatenus eſt quãtitas. Nec abſimilis erit alijs partibus ſolutio. Superficies alba quatenus eſt ſuperficies,nulli ſuperficiei contrariatur: ſed in eo quòd albedo in vna eſt & alteri accidit nigredo, pugnant ſolum per accidens duæ ſuperficies:intelligimus ſanè quantitati nihil per ſe cõtrariari.Nec tempori tempus eſt contrarium: nox enim, quamuis videretur eſſe diei cõtraria,non tamen in eo, quòd tempus eſt: ſed in eo, quòd non eſt aer obſcurus. Dies vero aer lucidus: aer autem, neque quantitas eſt, neque tempus: lumen autem & obſcuritas qualitates ſunt:& non quantitates. Et quemadmodum aliquid per ſe quale, per accidens quantum dicitur: ita quidpiam per ſe quantum, per accidens

quale dicitur. Considerãt autẽ maxime authores quæ per se sunt. ¶ Argumẽtaberis alio argumẽto probaturus quantitati aliquid esse contrarium: Locus deorsum qui est à medio mundi, contrariatur loco sursum qui est ad mundi extrema: at locus est quantitas, igitur quantitati aliquid est contrarium: antecedens probatur: locus deorsum maxima separatur distantia à loco sursum, igitur locus deorsum & locus sursum contrariãtur. Amplius, contrariorum definitio quæ est, Contraria esse quæ sub eodem genere posita maxime à se inuicem distant, illis conuenit, igitur contrariantur. ¶ Hæc ratio facit videri maxime quantitati circa locum aliquid esse contrarium: quam non aliter dissoluit Philosophus. Sed quid varie sentiant nonnulli de loci contrarietate, satis cõmode recensere videbimur. Opinatur Boëtius quantitati (dempto loco) nihil esse contrarium. Nec censet loci rationem ad aliquid decumbere: sed quantitatem: cuius partes partibus corporis locati, termino communi conterminantur. Hanc qui sectantur sententian, non inficiantur locum, rationem ad aliquid posse suscipere: sed huic instituto minus accommodatam. Scias in physicis pleraq; reputari contraria quæ logicis si adaptarentur vocibus minime contraria dicerentur. ¶ In hanc insurges opinionem, Contraria definiuntur quæ sub eodẽ genere posita maxime abinuicem distant: & eidem subiecto vicissim assunt, à quo & se mutuo expellunt: modo alterum eorum illi subiecto natura non assit, sed locus sursum & locus deorsum non pos-

sunt eidē subiecto vicissim inesse, igitur non contrariantur. Amplius, si locus loco sit contrarius: & omnis locus est superficies, igitur superficies superficiei est contraria, quod est absurdum.

¶Dissoluunt argumētum definitioni contrariorum non refragantes, quanuis locus sursum & locus deorsum non mutuo sese deijciant, nec vicissim eidem assint, non tamen à contrarijs seiungentur. Nam contrariorum definitio intelligenda est, modo alterum eorum illi subiecto non insit natura, modo locus sursum sic in summis natura inest, vt nunq̄ abesse possit, neq; alteri cuipiam adesse. In ijs autem contrarijs quæ natura insunt, non oportet ea eidem subiecto vicissim adesse, vicissimq; se mutuo expellere: vt calidum & frigidum contrariantur, & tamen ab igne calor dissolui non potest: quia calor ipsi igni natura competit. Deinde non oportet superficiem superficiei cōtrariari, si locus qui est superficies loco contrarietur. Nam superficiei nomen minus est cōtrarietati aptū: nomē vero loci maxime cōtrarietati accōmodum. Et in alios retrudūt clauum: color colori est cōtrarius, vt albedo nigredini: & omnis color re ipsa est similitudo: & tamen non oportet similitudinē similitudini cōtrariari. ¶Alij moliūtur aliā sententiam, & longe aliter diiudicant locū non esse quantitatē, q̄ sua ratio sit ad aliquid. Locus enim id dicitur cuius est locatum, & locatū cuius est locus. insuper negant locum loco logice contrariari, etsi sit Physice. Et cū dicitur contraria ea esse quæ sub eodem genere posita maxime abinuicem distant, hic de

diſtantia pugnãtiáq; formæ, non autem de locali diſtantia eſſe intelligendũ autumãt:inſuper integra cõtrariorũ definitio non cõuenit locis,cũ nõ poſſint eidẽ ſubiecto viciſſim ineſſe, nec mutuo ſe expellere:quare videbitur locũ non poſſe loco pugnare & cõtrariari. ¶In eos pugnabis Ariſtotelis authoritate enumerantis locũ inter ſpecies quantitatis continuæ, igitur locus eſt quantitas. ¶Dicit Trapezuntius in ſua dialectica,Ariſtotelem in quinto primæ philoſophiæ has quãtitatis cõtinuę ſpecies poſuiſſe, ſcilicet lineã, ſuperficiẽ, corpus,motũ & tẽpus:in categorijs motũ neglexiſſe,& locum poſuiſſe.Locus autem vt à Phyſico auditu colligitur,ſuperficiei ſpecies eſt.Quare patet(vt inquit) aut alios ſecutum,locum à ſuperficie ſeparaſſe:aut ipſam trinam dimenſionem nõ vt in corpore, ſed potius in vacuo intellexiſſe.
¶*Non uidetur autem quantitas ſuſcipere magis & minus.* Hæc ſecunda proprietas inſinuat dicibilia quãtitatis non prædicari cum his aduerbijs magis & minus intentionẽ & remiſſionem deſignãtibus.Nemo enim diceret vnam lineam eſſe magis alia lineam, neque bicubitum eſt alio magis bicubitum. Pariter ternarius non eſt magis aut minus numerus quàm binarius.Hæc proprietas eſt propria ſecũdo. Nam competit omni quantitati, & non ſoli:cum ſubſtantiæ (vt dictum eſt) conueniat. ¶Obijcies, Vna linea magis eſt magna quàm alia,igitur videbitur quantitas ſuſcipere magis. ¶Dices conſequentiam eſſe abnegandã:cum dicimus vnam lineã eſſe magis alia magnam, magis non importat intenſionem, ſed ex-

tensionem, vt fateamur vnã lineam alia extensiorem dici. Et magis illic absurde satis sumitur, cũ secundum suam propriã rationem, intensionem designat. ¶*Proprium est maximè quantitatis, quòd æquale & inæquale dicitur.* Hac tertia proprietate demonstrat Philosophus, quantitatem siue continuam siue discretã esse per se æqualem aut inæqualem, vt linea pedanea alteri lineæ pedaneæ est æqualis, & bipedaneæ inæqualis. Pariter binarius alteri binario est æqualis, & ternario inęqualis. Nec minor in alijs (quæ per se quanta sunt) videbitur ratio. In cæteris vero quæ per se non sunt quanta nec quantitates, vt in substantijs & qualitatibus, nihil per se erit æquale aut inęquale: vt duo homines si duobus alijs æquales dicãtur, nõ tamen per se, & quatenus sunt substantiæ, sed per accidens: quia eis adest quantitas, scilicet ternarius per animæ applicationem à qua æquales censentur. Pariter album nõ censetur proprie alteri æquale: sed simile. Nam quemadmodũ à quãtitate res cẽsetur æqualis aut inęqualis, ita à qualitate res denominatᷓ similis aut dissimilis. Hinc colliges bifariam aliquid dici æquale aut inæquale, per se scilicet, & per accidens. Per se, cũ sua natura, & nõ alterius quãtitate dicitur æquale aut inæquale: vt linea, superficies, & ita de singulis quantitatibus. Per accidens, cum à quãtitate dicitur æquale aut inæquale, vt substantia pedanea alteri substantiæ pedaneæ est æqualis. Nonnulli in hunc modum recipiũt proprietatem, maximè proprium est quantitati secundum eã aliquid dici æquale aut inæquale. Verum cum ipsa æquali-

tas aut inæqualitas per se & apte quidem quantitati accommodanda sit, accedo Boëtio ita ex græco in latinum transferenti, Proprium est quãtitatis, quòd æquale & inæquale dicitur. Id autem conijcimus esse proprium quarto.

¶De prædicamento ad aliquid scholia.



Categoriarum instituto nõ desistẽs, subscribit quãtitati ad aliquid. ¶Sed effertur dubitatio, cur Philosophus prætulit ad aliquid qualitati, & posterius de ea differit? ¶Dicit Boëtius hanc causam esse: quòd posita quantitate magis minúsque esse necesse est: quare cum quantitatem continuo ad aliquid consequatur: recte post quantitatem relatiuorum seriem ordinauit. Et id quoque in causa est: quòd superius cum de quantitate tractaret, relatiuorum mentio facta est, cum de magno paruóque diceretur: vt ergo continens & non esset operis interrupta distinctio, ideo quãtitate finita de relatione proposuit. Nec ab hac deflectit ratione Diuus Aurelius Augustinus. Quoniam (inquit) in fine quanti quædam eiusdem generis ad aliquid videbãtur posse transferri: hanc categoriam quæ quarta fuerat, necessario tertiam voluit ordinare.

¶*Ad aliquid uero talia dicuntur, quæcunque hoc ipsum quod sunt, aliorum dicuntur, uel quomodolibet aliter ad aliud*. Hanc censent nonnulli definitionem ex fõte Platonis, & nõ Aristotelis effluxisse:

quam Aristoteles vt impensius communem, & huic prædicamento inuiam, parum approbat: aliam (vt videbitur) positurus: eam tamen quia textui inseritur dilucidare moliemur.

¶Ad aliquid communiter siue relatiua communia, talia dicuntur, hoc est, sunt talia dicibilia, quæcunque hoc ipsum quod sunt, aliorum dicuntur: hoc est verificantur de seipsis cum genitiuo, vel quomodolibet aliter ad aliud, id est vel quouis alio obliquo. Facilem illi descriptioni interpretationem subiungunt, Ad aliquid talia sunt dicibilia quæ de seipsis cũ genitiuo aut alio quouis obliquo sunt verificabilia. Et primam illius definitionis particulam exponunt de ijs quorum ea ad quæ referuntur, genitiuo explicantur, vt duplum dicitur dimidij duplum, & dimidium dupli dimidium: similiter pater filij pater est, & filius patris filius est. Secundam vero particulam explicant de ijs quorum ea ad quæ referuntur, alio quouis obliquo explicantur: vt simile simili est simile. Pariter æquale dicitur æquali æquale. maius minore maius. Magnus ad paruum magnus.

¶Relatiuorum autem alia ijsdem casibus referuntur, alia diuersis: pater & filius, dominus & seruus ijsdem casib⁹ referuntur. Nam cum dicimus pater filij pater est, & filius patris filius est, nominatiuos ijsdẽ obliquis adiunximus. Et hæc vt genitiuis assignantur, vt dicit Boëtius, id quod sunt similiter aliorum dicuntur. Nam quod aliorum dicuntur secundum genitiuum redditur casum. Alia diuersis explicantur casibus, vt sensus sensibilis sensus, & sensibile sensu sensibile.

Diſciplina diſciplinati diſciplina,& diſciplinatum diſciplina diſciplinatum.Similiter ſcientia ſcibilis ſcientia eſt,& ſcibile ſcientia ſcibile.¶Alia relatiuorum partitio. Relatiuorum alia æquali quadā cōparatione conſiſtunt,vt ſimile,ęquale,amicus. Nam ſimile dicitur ſimili ſimile, & amicus amici amicus. Alia maiore:vt pater,dominus:alia minore,vt filius, ſeruus:alia voluntate, vt amicus, inimicus:alia fortuna, vt dominus,ſeruus. Hæc Trapezuntius. ¶Vnum adnotatu nō indignum exiſtimo, ad aliquid videlicet cōmuniter ſumptū per omnia crebreſcere prædicamenta.Sunt enim omnium prædicamentorū dicibilia de ſe ipſis cū aliquo obliquo verificabilia in ſubſtātia,vt homo anima rationali eſt homo:in quātitate,vt magnitudo rei magnæ magnitudo cēſetur: & magnum magnitudine magnum:in qualitate,vt albedo eſt albi albedo,& album albedine album,& ita de ſingulis. In hanc ſententiam propemodum deſcendit Iudocus Clichtoueus.¶Obijcies,Si talis aſſertio veritati gratularetur, eſſétq; vero conſentanea,dicere oporteret,idem dicibile (vt album)in duobus collocari prædicamētis,in qualitate ſcilicet & ad aliquid:quod eſt abſonum. ¶Non cogit ratio dicere idē dicibile,vt album,in duobus ſubſiſtere prædicamentis:quãuis enim album ſit ad aliquid cōmuniter,nō propterea ſubſiſtet in prædicamento ad aliquid, & hanc declinabis conſequentiā: Album eſt ad aliquid cōmuniter,igitur eſt ī prędicamēto ad aliquid.Nā ad aliquid cōmuniter nō cōſtituit diſtinctū prędicamentū,ſed ſuo ambitu omnia prędicamēta cōplectitur.Quis me

hercle nisi mẽtis expers diceret illud ſpeciale dici prædicamentũ, quod per omnia ſpatiatur prædicamenta? atqui ad aliquid cõmuniter ſumptum per omnia ſpatiatur prædicamẽta: nõ igitur dicetur ſpeciale prædicamentũ. ſed ad aliquid proprie ſumptum, vt diſcutietur, diſtinctũ eſt ab alijs prędicamentum. ¶Sciſcitaberis, Cur non dictum eſt ad aliquid vero tale dicitur: ſed plurali numero talia dicuntur? ¶Dicit Boëtius: Quicquid in natura relationis agnoſcitur, id cum alio neceſſe eſt cõſideretur. cum enim dico dominus: per ſeipſum nihil eſt, ſi ſeruus deſit. Quocirca cum vnius relatiui nuncupatio mox ſecũ etiam aliud trahat: ad aliquid vnum eſſe per ſe nõ poteſt. atq; ideo non dixit Ariſtoteles: ad aliquid verò tale dicitur, ſed plurali numero, talia dicũtur inquit, demonſtrãs relatiuorum intelligẽtiam nõ in ſimplicitate ſed in pluralitate conſiſtere. hæc ille. Ab hac ſententia nõ diſcedit Auguſtinus dicens, ad aliquid Categoriam vocamus eã, quæ id quod eſt dicitur ex altero: ſine cuius ſocietate eſſe nõ poſſit: & cuius vis omnis ex alterius coniunctione deſcendit.

¶*At uero ſunt etiam & hæc ad aliquid, ut habitus, diſpoſitio, ſcientia, ſenſus & poſitio.* Demõſtrat Philoſophus habitum eſſe ad aliquid & diſpoſitionẽ. Eſt enim habitus alicuius habitus, & diſpoſitio alicuius diſpoſitio. Sciẽtia pariter & ſenſus alteri adhærent, ſine cuius ſocietate vix bene intelligi poſſunt. Et poſitio (quæ eſt alicui⁹ rei collocatio) eſt alicuius poſitio. ¶Pugnabit quiſpiam, Scientia & ſenſus ſunt qualitates: quo nã igit pacto ſunt ad aliquid? ¶Dilutio omniũ in ore verſata, Quan-

uis ſcientia ad prędicamentũ qualitatis deſcẽdat, non propterea à relatiuorum communium ingreſſu repellitur. Iam enim dictum eſt relatiuum ſeu ad aliquid communiter non conſtituere vnũ prædicamentum. ¶Solutionem tamen diui Aurelij Auguſtini, haud pœnitendam commodè huic loco aſcribemus: Scientia, vt rei ſcibilis eſt ſcientia, & ſenſus rei ſenſibilis ſenſus, in genere ad aliquid continetur. Scientia vero, vt hominis eſt ſcientia, & ſenſus hominis eſt ſenſus, ſunt qualitates. Ex eruditi viri cenſura deprehendes longè aliter ſcientiam conſiderari, vt hominis eſt ſcientia, à quo ſciens homo denominatur, & quatenus eſt rei ſcibilis ſcientia.

¶*Sunt autem & accubitus & ſtatio & ſeſſio poſitiones quædam. Poſitiones uero ad aliquid ſunt.* Quoniam diximus poſitiones eſſe ad aliquid: ſeſſio vero & ſtatio ſunt poſitiones, & eius ſpecies ſeſſio & ſtatio relatiua dicentur. Sedere autem & ſtare poſitiones non dicuntur, nec relatiua: ſed denominatiuè dicuntur ab illis denominantibus. Omnis autem denominatio, non eſt id quod eſt ea res de qua nominatur, vt grammaticus non eſt ipſa grammatica à qua denominatur.

¶Obijcies, Si ſedere, recubare & ſtare non eſſent poſitiones, non reciperentur in prædicamẽto poſitionis ſiue ſitus, quod tamen eſt falſum. ¶Diſlutio: Cum dicit Ariſtoteles recubare, ſtare, ſedere, poſitiones non eſſe, ſed denominatiue dici à poſitionibus, nequaquã vult inficiari, recubare, ſedere, & ſtare eſſe prædicamenti poſitionis ſiue ſitus: ſed negat ea dici primaria & principalia il-

lius prædicamenti, sed solum esse à positionibus denominatiua. Sed sessio Socratis, & Platonis statio, primogenea sunt illius prędicamenti, perinde albedo, nigredo, caliditas, & frigiditas qualitates verè dicuntur, album autem, nigrum, calidum, & frigidũ, qualia sunt denominatiua à qualitatibus.

¶*Inest autem contrarietas in ijs quæ sunt ad aliquid.* Hac prima proprietate demonstrat Philosophus contrarietatē inueniri in ijs quæ sunt ad aliquid cõmuniter, & hanc proprietatē de dicibilibus interpretabimur. Inest contrarietas in ijs quæ sunt ad aliquid: hoc est dicibilia ad aliquid cõmuniter sunt cõtraria: vt virtus & vitium contrariãtur, & sunt ad aliquid cõmuniter: nã referuntur, nõ tamen ad seipsa mutuo: sed ad ea quib⁹ eorũ natura cõuenit: vt virtus ad studiosum, & vitiũ ad vitiosum: est enim virtus studiosi virtus, & studiosus virtute studiosus. Pariter vitiosus vitio vitiosus, & vitium vitiosi vitiũ. Hæc proprietas nõ cõpetit ad aliquid seu relatiuis ꝓprijs. Relatiua enĩ propria siue dicibilia huius prędicamenti nõ sunt contraria, sed relatiue opposita, vt pater & filius. Est tamen hæc proprietas ꝓpria primo, relatiuis cõmunibus: nã solis cõuenit & nõ omnib⁹. Cum non conueniat homini, animali & quãtitati, quæ sunt relatiua cõmunia, cũ ad aliqua referuntur. Nec posses cauillari, dicendo proprietatē non cõuenire solis relatiuis communibus, cum ipsis cõpetat qualitatibus, vt albedini & nigredini. Quanuis qualitatibus congruat, illæ tamen sunt relatiua communia: vt albedo est albi relatiuum, & nigredo nigri. Ratio si vinceret, deberet suadere

illam proprietatẽ conuenire ijs quæ non ſunt re-latiua cõmunia,quod non eſt verum. ¶Contendes, Virtus & vitium ſunt qualitates ſub prima qualitatis ſpecie,igitur nõ ſunt ad aliquid. ¶Nõnulli dicunt non eſſe incõmodum,virtutem & vitium eſſe qualitates,& detorqueri ad aliquid cõmuniter:nã ad aliquid cõmuniter per omnia(vt dictum eſt) crebreſcit prædicamẽta. Aliam Boëtius relinquit ſolutionem,dicens vnam rem alia ſignificatione diuerſis generibus ſupponi. Nihil enim prohibet Socratem in eo ꝙ Socrates eſt,dici ſubſtantiã:in eo vero quòd pater vel filius eſt, ad aliquid:ita ad aliud atq; ad aliud ducta prædicatione,eandem rem ſub diuerſo genere poni nihil prohibet. Habitus enim & virtus & vitiũ eodem modo, quatenus enim habitus virtus & vitium hominũ ſunt,à quibus quales homines nuncupãtur,ſub qualitate ponuntur. Sed habitus ad aliã prædicationem dictus,fit relatiuus,ꝙ rei habilis ſit habitus:pariter virtus quatenus eſt alicuius virtus, & vitiũ alicuius vitiũ,ſunt ad aliquid. ¶Scrutaberis,Quid cauſæ eſt,& quare aliqua relatiua contrarietate carent, & alia contrarietatem admittunt? ¶Dicit idem Boëtius,ſecundum quæ prædicamenta, relatiua dicũtur:ſi illa ſuſcipiunt contraria, & relatio ſuſcipit: ſin vero illa prius repudiant cõtrarietatẽ, nec illud ad aliquid quod ſecundum ea dicitur,vlla vnq̃ contrarietate diuiditur. Hoc documento admodũ conducibili facilè dignoſces patrem & filium non ſuſcipere contraria.Pater enim & filius ſecundũ ſubſtantiã prędicãtur:non eſt enim pater atq; filius,

nisi in substãtia sit:quocirca quoniam secundum substantiã dicuntur,contrarietate carent. Virtus autem & vitium secundum qualitatem prædicantur, & qualitatum numero ascisscuntur. At qualitas recipit contrarietatem, quare virtus & vitium contrarietate non carent.

¶*Videntur autem magis & minus ea quæ ad aliquid sunt, suscipere.* Non minus secunda proprietas ad aliquid cõmuniter de dicibilibus exponenda est, quàm prima. Interpretatio huius proprietatis: Dicibilia ad aliquid, communiter prædicantur cum istis aduerbijs magis & minus, vt studiosus est magis vel minus alio studiosus,& relatiuis cõmuniter est propria primo.Nam soli conuenit & non omni: homo siquidẽ & animal relatiua sunt cõmunia,& nõ suscipiũt magis & minus.Conuenit etiã nonnullis relatiuis proprijs:simile siquidẽ & dissimile magis & minus dicit, pariter æquale & inæquale:non tamẽ omnia huius prædicamẽti dicibilia suscipiunt magis & minus: duplũ enim & dimidium huius sunt prædicamenti, quæ nec magis, nec minus recipiunt. ¶Dicit Faber Aristotelem cum asseruit simile & dissimile, æquale & inæquale suscipere magis & minus: latius cæpisse magis & minus q̃ prius sumpserit, pro ijs quæ aptè prædicationem cum magis & minus suscipiunt,seu illa intensionẽ & remissionem, seu maiorem,minorémve conspirationem & consensum pręferunt:ut sint duo quorũ vterq; sit sciens & bonus:sint pariter duo alij, quorum vterq; sit sciens,vnus tamen bonus, alter vero malus:duo primi sunt magis similes ob maiorem qualitatis

affinitatem: cum virtute & ſcientia conſpirent & coaleſcant, alij vero ſola conſentiunt ſcientia. Pariter duæ aquæ, quarum vtraq; efferueſcit quatuor gradib9: ſunt magis ſimiles ijs, quarum vna tribus incaleſcit caloris gradib9, & altera quinq; gradibus feruet. Sint etiã duo corpora, quorum vtrunq; ſit proceritate quinq; pedũ, & craſſitie pedanea. Item duo æquali proceritate, vnum tamen craſſitie pedanea, alterũ vero minori, prima ſunt magis æqualia. Neq; hic æquale ſumitur vt quantitatũ præciſionẽ indicet, vt neq; ſimile ſolã qualitatem, alioqui nõ reciperẽtur in hoc prędicamẽto. ¶Neq; æquale & inæquale ſuſcipiunt magis & minus ex Boëtij cenſura, ꝙ proprium ſit quãtitatis ſuſcipere magis & minus, ſed vt quædam paſſio ſeu aduẽtitia quãtitatis affectio: vti riſibile aduentitiũ homini riſum aſcribit, & ſimile ad extrinſecam qualitati relationẽ. ¶*Omnia autem quæ ſunt ad aliquid, ad conuertẽntia dicuntur.* Tanta eſt relatiuorum habitudo, tantáq; affinitas: vt vnum non poſſit aptè intelligi alio non intellecto. Et ea eſt reciproca conuerſio, vt vnum ponat alterum, & cõuerſim ab altero ponatur. Quapropter Philoſophus hac tertia proprietate apertis patefacit exemplis relatiua ad cõuertentia dici, *ut ſeruus domini ſeruus, & dominus ſerui dominus. Pariter duplum dimidij duplum eſt, & dimidium dupli dimidiũ.* ¶Relatiua conuertuntur, quæ de ſeinuicem verificãtur cum obliquo ſui correlatiui: vt pater & filius. Correlatiuum id cenſetur, ad quod relatiuũ refertur: vt cum pater ad filium refertur: filius eſt correlatiuum, & pater relatiuum: & cũ filius

ad patrem refertur, pater est correlatiuum,& filius relatiuum. Nec vitiosè fateberis idem diuersa ratione dici relatiuum & correlatiuum.
¶Dicit Boëtius relatiua conuerti,cum prima res dicitur ad secundam : secunda rursus dicitur ad primam. vt ponatur prima res pater, & secunda filius: quemadmodum pater filij pater est, ita filius patris filius est. Et quanuis relatiua conuertantur, non tamen semper eodem casu redduntur:sed aliqua simili casu referuntur, vt pater & filius,dominus & seruus:& aliqua dissimili,vt disciplina & disciplinatum . Est enim disciplina disciplinati disciplina , & disciplinatum disciplina disciplinatum . Similiter scientia scibilis est scientia, & scibile scientia scibile. ¶Perscrutaberis, an omnia relatiua ad conuertentia reciprocáque dicantur . ¶Respondet Aristoteles relatiua minimè ad cõuertentia dici,nisi apta conueniénsque suorum correlatiuorum facta fuerit assignatio. Nam quis à recto deflectit & peccat correlatiuũ assignando quod non conuertitur cum relatiuo: vt si ala , auis correlatiuum assignetur , minimè conuertetur. Non enim ala eo dicitur,vt sit auis ala . Siquidem aliquid habet alam , auis tamen nullo modo nominatur, vt apes: eodem quoque modo de capite . Si quis caput animali referat, haud quaquã conuersionem reciprocam faciet: multa enim sunt animalia capite carentia, vt ostrea,cõchilia.Sed alã referre oportebit ad alatũ, & conueniens erit assignatio . Est enim alatũ ala alatum , & ala alati ala. Et caput ad capitatum, si vsus latinorum id recipiat: aut fingere licebit,

vt teſtatur Philoſophus:& conuenientem reddes aſſignationẽ. Eſt enim caput capitatæ rei caput, & capitata res capite capitata. Similiter remus ad rem remitam referetur : non autem ad nauem. Et dicendum erit remum remitę rei eſſe remum: & remitam rem, remo eſſe remitam. ¶Ambigitur, an tertia relatiuorũ proprietas ſit aliquo proprij modo propria tam relatiuis communibus q̃ proprijs. ¶Reſponſio, Tertia relatiuorũ proprietas, eſt propria quarto relatiuis communibus:& propria ſecundo relatiuis proprijs. ¶Obluctaberis. Non in ſolis relatiuis communibus eſt conuerſio, igitur talis proprietas nõ eſt dicenda propria quarto relatiuis cõmunib⁹:antecedens probatur:conuenit homini & riſibili quę ſunt à relatiuis diſcreta, pariter congruit ſoli ſuper terram & diei. Nam cum ſol ſuper terram eſt, dies eſt:& cum dies eſt, ſol ſuper terram eſt. hęc autem ſunt à relatiuis aliena, igitur non in ſolis relatiuis cõmunibus eſt conuerſio. ¶Non fit ibi mentio de conuerſione ſecundum conſequentiam, quam ſibi vendicant homo & riſibile, & multo plura: ſed ſolum de conuerſione ſecundum quandam habitudinem & comparationem. Eſt proprium relatiuorum dici ad conuertentia, non ſecundum ſuã nuncupationem, ſed ſecundum quandã habitudinem. Qui enim dicit: ſi homo eſt, riſibile eſt:& ſi riſibile eſt, homo eſt: nullam habitudinem monſtrat, ſed tantummodo conſequentiam. Conſequitur enim riſibile eſſe cum homo eſt: cum vero aliquis dicit filius patris filius eſt:& pater filij pater eſt: habitudinem vtriuſq; & comparationem

declarat. ¶ *Videntur autem ad aliquid simul esse natura*. Cum nulla sint dicibilia relatiuis iunctiora & magis connexa, & quæ mutuo ab ipsa natura subsidio sese foueāt, non abs re cēsuit Philosoph⁹ in hac quarta proprietate relatiua simul esse natura. ¶ Illa sunt simul natura, quæ simul nascuntur, & simul pereunt. Ita quòd vno posito aliud necessario subsequitur: & vno perempto aliud interimitur, vt pater & filius. Nam si pater sit, filiū esse necesse est: & perempto patre, filiū tolli manifestum est. Similiter cum duplum sit, dimidium est, & cum dimidium, duplum. quòd si vnū depereat, alterum perire necesse est. ¶ Aliqui dicunt relatiua dici simul natura, cùm inter ea cō uertitur subsistendi consequentia. ¶ Subsistendi consequentia, est ab esse ad esse cōsequentia: hoc est à propositione de secundo adiacente ad alteram de secundo adiacente: vt pater est, igitur filius est. & in copulis extrinsecis talis subsistentia fieri potest. ¶ Conuertitur consequentia, cum nō modo ad antecedens sequitur cōsequens, sed etiā ad consequens sequitur antecedens: vt dominus est, igitur seruus est: & seruus est, igitur dominus est. ¶ Licet relatiua sint simul natura, non tamen omnia. Quædam enim relatiua sunt, quorum vnū altero natura prius est: vt scientia & scibile, quæ feruntur relatiua potentiæ: & vnum scilicet scibile, altero natura prius est. Si scientia sit, scibile permanet: at scibile si fuerit, scientiam esse non oportet. Est enim circuli quadratura scibilis, cui⁹ tamen scientia nondum in lucem emersit, nec inuenta est. Amplius, Id altero antiquius est &

prius natura, quod posteriori sublato non depe- rit, eo tamen perempto posterius emori necesse est: at scientia sublata scibile non deperit. Si ta- men scibile sublatum fuerit, non poterit poste- rius scilicet scientia subsistere. Rectè siquidem ex isto antecedente nullum est scibile. Inferes, nulla igitur est scientia. Pariter sensus & sensi- bile relatiua dicuntur, non tamen sunt simul: sed vti scibile natura prius est scientia, ita sensu ip- sum sensibile, & longe eo antiquius.

¶Passim iactatur relatiua actus esse simul natu- ra, non autem relatiua potentiæ: quòd si id à peritioribus approbetur, animaduertere non in- dignum videbitur, quænam sint relatiua actus & potentiæ. ¶Relatiua actu, sunt ad quorum vnius substantiam protinus alterum subsistit, & ediuerso: vt pater & filius: nam si pater est, fi- lius est, & ediuerso. ¶Relatiua potentia, sunt quorum vnum potest actu esse, altero non exi- stente, vt genus & species: non enim oportet si genus sit, protinus speciẽ esse. Sed quid hoc sibi velit, in nostris ad prędicabilia scholijs discussum est: pariter prius & posterius, causa & effectus, sunt relatiua potentiæ. Et hæc quemadmodum relatiua potentiæ sunt, etiam secundum poten- tiam conuertuntur: vt si genus est, species potest esse: & si prius est, posterius potest esse: & si causa est, effectus potest esse. ¶Ambigitur, Vtrum nul- la substantia ad aliquid dicatur, quemadmodum videtur, an id contingat secundum quasdam sub stantias. In primis manifestum est primas substã tias non esse ad aliquid: nam Socrates non dici-

tur alicuius Socrates, nec quiuis alius homo dicitur alicuius quidam homo, neque quidam bos alicuius quidam bos. Similiter & substantiarum partes, quædam enim manus dicitur non alicuius quædam manus, sed alicuius manus. Si quis enim operto capite & alijs mẽbris obtectis manum foras exerat, non quempiam latebit illam manum alicuius esse manum, cuius autem sit manus definitè non dicet. Et quoddam caput nõ dicitur alicuius quoddam caput, sed alicuius caput. Si enim contectis oculis faciéque velata, alicuius caput inspicias, illud quidem caput alicuius esse non dubitas: cuius autem sit particulatim, nõ proferes. Similiter secundæ substãtiæ nõ videntur ad aliquid dici. Non enim homo dicitur alicuius homo, nec bos alicuius bos, nec lignum alicuius lignũ, sed alicuius possessio. ¶Amplius, cum sint accidentia relatiua, si quis substantias, relatiuas esse concedat, eas in accidentium numero ponendas esse, vt censeat necesse est: quod est absonum. Si enim substantia in subiecto non est, accidens autẽ in subiecto est, qui fieri potest, vt idem & in subiecto sit, & in subiecto non sit? Si tamen substantiæ relatiuorum numero ascriberentur, id eueniret. ¶Obsistes, Prius dictum est caput esse ad aliquid: nam ad ipsũm capitatũ refertur: sed caput est substantia: igitur substantia est ad aliquid. ¶Hanc diluit rationem Philosophus, dicens: *si igitur sufficienter eorum quæ sunt ad aliquid diffinitio assignata est: aut nimis difficile, aut impossibile est ostendere, quòd nulla substantia eorum quæ sunt, ad aliquid dicitur.*

Ita quòd innuere vult substantiam à diffinitione ad aliquid communiter sumpti nõ reijci. Sed aliã ad aliquid propriè sumpti diffinitionem ponit, à qua substantiæ separãtur & excluduntur. ¶*Sunt ad aliquid quibus hoc ipsum est esse, ad aliquid quodam modo se habere:* hoc est, ad aliquid sunt dicibilia, quibus hoc ipsum esse: hoc est, quorum primaria significatio & præcipua est, quodam modo se habere ad aliud, id est significare rem in cõparatione ad aliam: vt non possit intelligi significatum relatiui sine suo correlatiuo: quemadmodum patris ratio præcipua & formalis est, quodam modo se habere ad aliud, videlicet ad filiũ, & è diuerso. Nec fieri potest, vt substantiam patris quatenus pater est, sine sui correlatiui notione intelligere possim. Nam vnius intelligẽtia alteri reciproca est. Ex hac interpretatione dilucidè percipies nulla esse dicibilia huius prędicamenti, nisi connotent seu mauis designent mutuã inter se referẽdi habitudinem. Et quòd si quis definitè eorũ quæ referuntur aliquid cognouerit, & aliud definitè seu determinatè intelliget. Hinc facilè substãtiam & qualitatem ab hoc prædicamento excludes: quod solum ad aliquid propriè sumptũ recipit. Pugnabis in hanc diffinitionem, Diffinitio vt magis sit lucida & aperta, sumitur, vt res de qua quæritur, assignetur. Sed Philosophus rem ipsam quam diffinit in diffinitione protulit, igitur talis diffinitio non est apta. ¶Non putes Aristotelem hãc particulã, hoc ipsum est esse, diffinitioni ad aliquid adijcientem, diminuisse aut magis obscurasse suam descriptionem: non enim eã, vt

imperiti,sumpsit:sed in hanc intelligentiam,vim integrę diffinitionis sumere oportet. *Sunt ad aliquid quibus hoc ipsum est esse,id est,hæc eorum natura atq; substantia est:ut id quod sunt,ad aliquid referantur,id est non solum referri dicãtur,sed etiam referantur.* Et nihil aliud intelligere vult,nisi ad aliquid talia esse, vt eorum substantia, ad aliquid aliud referatur, & quæ ita sunt, vt ipsa id quod sunt ad aliud referantur. De re ipsa agitata dicit Boëtius:Non enim in eo quod est dici ad aliquid consideramus,sed in eo quod est esse. Ea nanq; sunt relatiua, quæ in quadam comparatione, & relationis habitudine consideramus: vt quaternarius numerus, & hoc ipsum quod est esse dicitur,id est quatuor: & aliud quoddam, id est duplum,vt si ad binarium referatur. Sed non putes Boëtium dicere quaternarium in eo quod quaternarius est,esse ad aliquid, nam est quantitas, sed quatenus est duplus duorum,& ad binarium cõparatur.Binarius quoq; in eo ꝙ sunt duo, ad aliquid non refertur, sed in eo ꝙ est medietas,scilicet ad quaternarium comparatus. ¶Talem relatiuis inesse habitudinem cupit Aristo. ꝙ si quis aliquid eorum quæ sunt ad aliquid definitè sciet: & illud ad quod dicitur definitè sciturus est. vt si quis determinate nouerit, quia duplum est, mox cuius est duplũ definitè agnoscit: ꝙ si quis percontaretur an duplum sit, & respondeas duplũ esse, sed inscius sis cuius sit duplum: non perfectam dupli notionem habuisse diceris. Et si quis nouit Anchisen patrem definitè esse Aeneæ, & Aeneã filium esse definitè agnoscet. Hoc autem

neq; ſubſtātijs neq; qualitatibus contingit. Caput enim & manus, & eorum ſingula quæ ſubſtātiæ ſunt ſcire poſſumus: ſed quorum ſint, non eſt neceſſarium ſcire. pariter albedinem alicuius eſſe albedinem non me latebit: cuius autem ſit albedo, nō ſatis certus euadam. Palam igitur eſt ſubſtantias non eſſe proprie ad aliquid, non tamen vſqueadeo à relatiuis expelluntur, quin per accidens ad aliquid dici poſſint. Nam vt vult Philoſophus cap. quindecimo quinti Metaphyſic. homo aliquid dicitur: propterea quòd accidit ipſi eſſe duplum. Et album ſimili modo: ſi eidem accidat duplum eſſe. ¶Percontabitur quiſpiam, an relatiuum ſiue id quod refertur, dicatur ſecundū ſubſtantiā vel accidēs, vt pater dicitur ad filiū, & ecō tra: an talis habitudo patris ad filium ſit ſecundum ſubſtātiā vel accidens. & ſanè videtur quòd non ſit ſecundum ſubſtantiam, nam ſi diceretur ſecundum ſubſtantiam, diceretur ad ſe. Adde q; non eſſet mutatio, quod eſt falſum: nam Socrates qui pater eſt alicuius, poteſt à tali excidere nūcupatione & appellatione, ſi filius eius exhalet animā & expiret: nec videtur dici ſecundū accidens. Nam pater in diuinis dicitur ad filium ab æterno genitū, & filius ad patrē, non tamen ſecū dū accidens: quia omne accidēs eſt mutabile, modo nulla in deo eſt mutatio. Hanc dubitationem diſſoluit Diuus Auguſtinus libro 5. de Trinitate, cap. 5. dicens: In rebus mutabilibus omne quod dicitur, aut dici ſecundū ſubſtātiam vel ſecūdum accidens, non autē in rebus immutabilibus. Licet pater in diuinis ad filium relatus, nō dicatur

ſecundũ ſubſtãtiã,quia dicitur ad alterũ, tamẽ dicitur ſecũdum accidens, quia illud relatiuũ non eſt mutabile,cũ ab ęterno ſit pater,ſed dicitur ſecundum relatiuum. ¶Quoniam Philoſophus de relatiuis diſſerit: Quærunt nõnulli locutores importuni,& curioſiſſimarũ opinionũ amantiſſimi: an relatio ſiue intrinſecus ſiue extrinſecus adueniens diſtinguatur à ſuo fundamento. ¶Quã ridicula & abſurda ſit hæc in ſerijs philoſophiæ concertationibus quæſtio, non ſatis dixerim: videtur ſanè(vt conijcio)perueſtigare ſi nã natura mõſtrifera relationum portenta auditorũ ingenijs peſtem,& pernicioſiſſimam labem allatura progignere poſſit: & qui has quæſtiones verius Perſicas nugas & inaudita ſomnia elato ſupercilio,& varias opiniones abſq; delectu in aerẽ(nõ vt irradient,ſed atra caligine obtenebrent)euentilare cõtendunt:mihi ſanè præſtigiatoribus perſimiles videntur: qui ſuis præſtigijs,dolo,& calida aſtutia prædam pecuniariã & aurã popularẽ venaturi optima quæq; & maxime admirãda efficere moliuntur. Verius tamen Charontem, qui ſe moriturum negat, moliuntur ſuis captiũculis, & hoc fallaci argumento, interiturum efficere. Charo inquiũt es, omnis autẽ caro morti eſt obnoxia,morieris igitur.ſed Charon in eos vulpina fraude aſtutiores argumẽtũ retorquẽs vinceret. Porrò vt ingenioſiſſimi appareãt, auiculas aſſentatoria voce mulcẽtes(tanq̃ Orpheus) & allicientes,artes verſutas p vrbes venales circũferũt: & cauponãtes eas ſtupido popello vendũt: laudant ſua oẽs,vt ſcribit diuin⁹ ille Plato in Protagorã,

vel sophistam. At forte nonnulli eorum ignorãt sæpe quid vtile animo sit, quídve inutile ex his quæ vendunt: similiter quoq; qui ab illis emunt. Sed caueant ingenuæ indolis adolescẽtes: ne eorum technis & lenocinijs capiantur. Caueant & ad verã Philosophiã bene nati, ne in summũ iacturæ discrimẽ quæ eis charissima sunt, deducãt: & disciplinæ noxiæ venena combibant. Verum suæ cõsulentes vtilitati à maleficis veneficisque sophistis abhorreant: quo caute fallaces deuitẽt Sirenum cantus, & noxia pocula Circes.

¶De qualitate scholia.



Isceptaturus Aristoteles de ijs quæ parant aditum ad Philosophiam, & ad altiores sciẽtias, primum describit qualitatem quartum sibi inter prædicamenta locum vendicantẽ. ¶*Qualitatem uero dico: secũdum quam quales quidã esse dicuntur*. Suspicarẽtur nõnulli hac ratiuncula qualitatẽ frigidè describi. Nemo nescit albedinem cygni qualitatem dici: secũdum quam tamẽ quales non dicimur: cũ ab eadem indiuidua qualitate, plures substantiæ denominari non possint. ¶Hæc ratiuncula parum obsistit Aristoteli. Non enim Philosophus insigni & perquã diuino ingenio, dicere contendit ab vna particulari qualitate nos appellari & denominari quales. Sed illa definitione innuit eam esse qualitatis naturam: vt ab ea quicquam denominetur quale: & si qualitatem plurali numero enũties, ab ipsis qualita-

tibus res dicētur quales. Si vero singulari numero,ab ipsa qualitate res dicetur qualis, & non ab alio accidente. Quemadmodum q̄titatis propriū est,ab ea rem dici quantam:etiam qualitatis proprium est, ab ea quicquam dici quale:vt ab albedine quę est qualitas,res dicitur qualis,scilicet alba:& à calore ignis dicitur calidus.Nihil sanè dignum videbatur:vt talis definitio quempiam,nisi crassiori ingenio obtusum,traheret in admirationem. Nam vocabula in definitionibus absoluuntur à numero.Non eunt tamē inficias docti,qualitatis definitionem in singularem translatā numerum esse intellectu faciliorem:& in hunc modum : Qualitas est secundum quam aliquid dicitur esse quale:vt grammatica est qualitas,quia ab ipsa aliquis dicitur qualis , vt Priscianus aut Donatus dicitur grāmaticus . ¶Pugnabis in diffinitionem qualitatis . Nullum prædicamenti quæsitiuū ponitur in illius definitiōe:sed quale est quęsitiuū prædicamenti qualitatis : igitur non ponetur in illius definitione. ¶Quale reclusum in definitione qualitatis non est quæsitiuū qualitatis: nec ea fulcitur virtute , sed est denominatiuum qualitatis . Nā à qualitate res denominatur qualis.Suscipienda est & spectanda illius vocis significatio secundum materiam subiectam. ¶*Est autē qualitas,eorum quæ multipliciter dicuntur.*Proponit Aristoteles qualitatem varie dici : que res plerosq; fecit opinari Aristotelem sensisse qualitatē æquiuocā nominari . Et in hac opinione videtur persistere Simplicius , dicēs qualitatem non diuidi in futuras species : vt genus in speciem,sed vt

æquiuocũ in ſua ſignificata. Aliã tamen ſectabor ſententiã: non enim ex verbis ipſius Philoſophi debemus aſſerere qualitatem eſſe ad ſua ſignificata ęquiuocam: quãuis qualitas multipliciter dicatur. Si multæ ſint ſpecies animali ſubiectæ, ipſum multipliciter quodã modo nominatur, vt ait Boëtius. Iſta tamen multiplicatio non eſt dicenda æquiuocatio. Pariter ipſa qualitas ſuis ſpeciebus copulata, varios habet ſignificatus & multipliciter dicitur: hanc tamen multiplicationẽ non ad æquiuocationem retulit Ariſtoteles. Nam ipſi qualitati quatuor accommodat ſpecies: quæ particulatim diſcutientur, & ſpeciem dicit eſſe qualitatis habitum & diſpoſitionem: quis igitur non affirmabit qualitatẽ vim generis obtinere? Quare dicendum eſt qualitatis nomen ſuis ſpeciebus non eſſe æquiuocum. In hac ſtat ſententia Boëtius. ¶*Et una quidem ſpecies qualitatis, habitus & diſpoſitio dicantur.* Primam aperit qualitatis ſpeciem quæ ſimplici nomine cum nuncupari non poſſit, nec ſit ſimplex nomen aptum & proprie impoſitum ad ſignificandum habitum & diſpoſitionem, eam duabus vocibus circumloqui conuenit. ¶Habitus eſt qualitas aſcititia ſeu acquiſita ad operandum, difficulter à ſuo ſubiecto dimobilis, vt ſcientia, pariter virtus. Acquiritur etenim ſtudio & diligentia, ſcientiarum integritas & perfectio: quæ aſſuetudine cum progenita fuerit: vſqueadeo menti affigetur: vt vix aut nunquã ab ea diſſolui poterit. Facilem tibi ſtruere viam ad habitus cognitionem videbor, ſi hanc non indiligenter adnotationem perpendas.

¶Promptitudo omnis, industria aut studio parta ad bene aut male agendum, habitus censetur: vt cum quis longo vsu eximiam ratiocinandi artem seu doctrinam sibi peperit: quãuis eam nonnunq̃ intermittat, prompte tamen dum volet suam artem exercebit: talis promptitudo nuncupatur habitus: nam est quædam qualitas acquisita ad bene operandum, quæ nunquam aut sola difficultate ab animo decidet. Pariter cum quis addictus suis voluptatibus aut crapulæ aut vino impensius indulget (vnde ad sordidam & pecuinam intemperantiæ labem præceps prolabitur) ex turpissimis gulæ functionibus indecoram sibi promptitudinem conciliat: & hæc promptitudo mali effectrix, habitus dicitur: gignitur autem talis habitus ex similibus operationibus, vt dicit Philosophus primo cap. secundi Ethicorum: vt ex diutino diuini amoris officio & longa ad illud bonum capessendum consuetudine, enascitur in voluntate quædam firma affectio: qua illius summi boni cupidus, fit propensior ad diligendum summum bonum.

¶Vocat diuus Augustinus habitum, affectionem animi longo tempore perseuerantem, vt est virtus & disciplina: quæ perseueratione sui & perpetuitate temporis æstimantur: nisi forte eas langor corporis aliquis, & casu iniecta debilitas, amputauerit. Nec descíscit ab Aristotele, qui dicit scientiam videri permanentium, & eorum quæ difficile mouentur: si quis vel mediocriter sumat scientiam: nisi grandis permutatio facta sit, vel ab ægritudine, vel ab aliquo huiusmodi. Memo-

riæ proditum est Messalam Coruinum oratorem præclarissimum ea febre tyrannica laborasse, vt omnem literaturā amiserit. ¶Dispositio seu affectio, est qualitas acquisita perfacile dimobilis: vt caliditas solis qua quispiam afficitur: nam est quædā qualitas non insita homini ab exortu naturæ, quę facile admodū permutari potest. Dispositio est veluti quædam guttula aquæ, quæ perfacile ab altera disiungi potest & perire: multæ autem guttæ adinuicem coadūnatæ, quæ simul se continent, præstant habitus argumētum: nam vt illæ non facile dissociātur, nec habitus ab eo cuius est. Nihil nobis adferre videtur dispositio, q̄ quoddam præparamētum seu viam ad habitum conciliandum. Nam ex dispositione seu affectione continuata fit habitus. Quamobrem Boëtius fatetur habitum esse dispositionis vel affectionis firmam & nō facile permutabilem recessionem. ¶Vocat Augustinus affectionem seu dispositionem mutabilem mentis impulsionem, vel cupiditatem leuē, quæ breui tempore deletur. ¶Differt habitus à dispositione, permanētia & diuturnitate: Est enim habitus permanentior & diuturnior: dispositio vero mobilis. Vnde fit vt genere & specie habitus à dispositione non discrepet. ¶Quia Philosophus asserit habitus dispositiones esse: dispositiones vero habitus esse non est necesse: adnotāt aliqui etiam commode dispositionem bifariam diffiniri. ¶Dispositio propria, est qualitas non insita perfacile à suo subiecto dimobilis: vt caliditas superficiei meæ manus adhærens: & est habitus instabilis, imperfectus & va-

nidus:ſicut tenue nubis veſtigium:non tamen dicitur diſpoſitio propria habitus conſummatus & abſolutus : ſed ex diſpoſitione progignitur habitus imperfectus:multæ autem diſpoſitiones connexæ conficiunt habitum perfectũ:hanc nõ prętendit diſpoſitionem Philoſophus, cũ dixit habitus eſſe diſpoſitiones, non tamen ediuerſo. Nam cuiq; notum euadit nullã dipoſitionem propriã, eſſe habitũ : nec habitum dici diſpoſitionem propriam, cum ſit habitus difficulter dimobilis à ſuo ſubiecto. ¶Diſpoſitio cõmuniter ſumpta, eſt qualitas acquiſita ad bene vel male operandum, ſeu ea facile ſeu difficulter à ſubiecto dimobilis ſit. hæc autem deſcriptio habitum recipit: & habitu diſpoſitio cõmuniter ſumpta cõmunior eſt : omnis enim habitus eſt diſpoſitio : non tamen omnem diſpoſitionem eſſe habitum neceſſe eſt. hanc conſiderabat diſpoſitionem Philoſophus : Habitus (cum inquit) diſpoſitiones ſunt: diſpoſitio cõtractius ſumpta, eſt minus communis diſpoſitione effuſe & ample ſumpta . Aliorum eſt ſententia aſſerentium nullum habitum eſſe diſpoſitionem aut contractè aut amplè ſumptam . Nec id cecinit Philoſophus. Nam ex erudita, eleganti & polita Boëtij tralatione habetur ſolum habitus eſſe diſpoſitiones : *diſpoſitiones uero non neceſſe eſt habitus eſſe* . Nec corruptiſſimam quorundã barbarorum ad Ariſtotelis textum æditionem , imperitorum ingenijs proculcatam approbamus: ſed ex toto animo damnamus : & indignam reijcimus . Vult Boëtius Philoſophorum politiſſimus Ariſtotelem velle habitũ diſpoſitiones eſſe,

quòd ex diſpoſitionibus habitus coadunatus ſit, & nihil aliud videtur eſſe habitus q̃ multæ diſpoſitiones quæ ſe ſimul continent & conſeruant. ¶Scrutaberis, An omnis habitus diſpoſitiõe crementũ ſuſcipiat. ¶Reſponſio, Non: eſt enim quidam habitus, vt non per diſpoſitionem creuerit, neq; per aliquam nõdum durabilem qualitatem ad perfectum venerit ſtatũ: vt eſt naſi curuitas, vel cæſitas oculorum, ſi ſubita facta ſit: hæc enim ab ipſo habitu nulla pręcedente diſpoſitione cœperunt: fortè enim nũquam ad ea diſpoſitus fuit aliquis. Alij vero habitus intenſione fiunt, atque inueteratione diſpoſitionis: vt ea quæ in artibus doctriníſque verſantur: prius enim quis ad ea diſpoſitus eſt, poſt vero habitum capit. Alia vero non intẽſione, ſed quadam permutatione ad habitum veniũt: vt lac quod ex liquido defigitur & conſtipatur in caſeum: & vinum quod ex dulci atque ſuaui in acidũm gũſtum ſaporémq; cõuertitur: neque enim plus tunc vinum eſt quàm fuit ante cum eſſet ſuaue: ſed cum quadam, permutatione in aliã qualitatem habitudinémque trãſgreſſum eſt, hæc Boëtius. ¶*Aliud uero genus qualitatis eſt, ſecundum quod pugilatores, uel curſores, uel ſalubres, uel inſalubres dicimus: & ſimpliciter quæcunque ſecundum potentiam naturalem, uel impotentiam dicuntur*[1]. ¶Vocat Ariſtoteles ſecundam ſpeciem qualitatis, naturalem potentiam, vel impotentiam: ſpeciem ſanè ſubalternam ſeu genus ſubalternum quod idem eſt. ¶Naturalis potentia eſt qualitas à natura ſeu à principio natiuitatis inſita ad bene operandum, vt viſus, id eſt

videndi potentia, ab exortu naturæ inest animali ad bene videndũ. Auditus, id est potentia audiendi ad audiendum, & ita de alijs sensuum exteriorum vocibus, quæ designant aliquã virtutem naturalem ad bene operandum. Pariter ingeniositas est naturalis potẽtia: nam est quædã naturalis qualitas in anima, qua quispiam propensior est ad disciplinas recte capessendas. ¶Paulo eminentius spectare licet, diuersas esse naturales potentias, ab eodem tamen naturæ gurgite profluẽtes: quas non nostris studijs neq; meritis, sed solo diuino afflatu immensisq; dei beneficijs congenitas habemus. Nec ægre ferendum est si aliquibus insint naturales potẽtiæ: alijs vero naturales impotentiæ. Nam spiritus quibus vult spirat, & diuisiones gratiarum impartitur, vt scite admodũ docet Paulus primæ epistolæ ad Corinthios cap. duodecimo. Itaque naturales sunt potentiæ ad virtutes tum morales tum intellectuales: vt naturalis potentia ad fortitudinem, ad liberalitatẽ. Naturalis igniculus ad scientiam, ad artem, vt pugilator naturalem habet potentiam ad concertandum pugno, pugnãsq; exercendas. Nec consentiunt significatione pugil & pugilator. Pugil (vt scribit Boëtius) is est, qui pugilatoria arte vtitur: pugilator vero qui naturalem habet indolem & facilitatem ad huiusmodi certamina. Alij naturalem habent potẽtiam ad deuitandas morborum iniurias: vt salubres, qui valenti sunt corpore, neq; facile morbis feriuntur, neq; ægritudinis grauamina incurrunt: sed vt dicit Philosophus habent potentiam naturalem, vt nihil fa-

cile à quibuslibet accidentibus patiantur. ¶Sunt autem naturales potẽtiæ, bona innata & ab optimo rerum omnium parente nobis insita, vt naturalia quædam adminicula & adiumenta, quo facilius & cõmodius animum perficiamus. Quare debent ij naturam omnium scientiarum & artium altricem opulentissimam, summo cum honore reuereri: & ei gratiam pro tantis beneficijs remetiri: quibus hæc præclara virtutum seminaria iacta sunt, & insita. ¶Naturalis impotentia, est qualitas ad male debilitérve operandum insita: vt hebetudo siue obtusitas à natura alicui cõgenita ad debilius, minutius, & minus apte literas adipiscendas. Nam hebetiore & obtusiori ingenio nati, difficile admodũ ad capessendum literarum cultũ subuehuntur: sed assueto labore longóq; in arte perdiscenda vsu imbecilliorem naturam vincentes, euadunt literati. quod ex Cleante comprobare possumus, quem refert Diogenes Laertius ingenio fuisse tardo: eam tamen tarditatem ingenij labore, studio ac diligentia vincebat. ¶Et queãdmodũ quibusdã insunt naturales potentiæ ad liberalitatem, ad temperantiæ munditiam: ita nõnullis insitę sunt naturales impotẽtiæ ad auaritiam, ad intemperantiam. & ij quanto cognoscunt se esse propẽsiores ad lapsum, tanto magis insito morbo consertisq; ad malũ vijs, obsistere debẽt: & illis oppositos virtutum habitus acquirere: quoad arduũ certamẽ aggressi, seipsos vicerint: & maiori conatu virtutem sibi pepererint. qui magis laudandi sunt, quàm qui naturæ præsidio adiuti, virtutem sibi conciliarunt.

¶Nec ſolum ratione præditis inſunt naturales impotentiæ: ſed etiam animantibus rationis expertibus, vt ceruo & lepori (quibus nihil eſt meticuloſius) ineſt naturalis impotentia, ſcilicet timiditas: quę innata eſt qualitas ad debiliter operandum, ſcilicet ad ſalutem ſibi fuga comparandam. ¶Et ne quemquam lateat ſubiectum naturalis potentiæ aut impotentiæ, animaduertere non indignum videbitur, naturales potentias & impotentias eſſe vera animi accidentia: perinde atque bona vel mala diſpoſitio in oculo, ſiue bona vel mala corporis habitudo. Et diſpoſitiones ſunt contrariæ, ſicut albedo & nigredo: vt ingenioſitas & obtuſitas adinuicem cõtrariantur. Et ſi cuipiam inſit naturalis inclinatio ad quidpiam agendum, nunq̃ eidem adeſſe poteſt inclinatio illi contraria: vt ſi Socrati adſit naturalis ad temperātiam propenſio, quæ accidentaria eſt animi affectio: nunquam eidem adeſſe poteſt naturalis inclinatio ad intemperātiæ vitium. Hinc licebit quorundam imperitorum blatteramenta & inſcitiam caſtigare: qui ſuis nugis proculcarunt naturales potentias & impotentias ſolum ineſſe materiæ: ex quorum opinione ſatis abſona dicendum eſſet naturalem ad ſcientiam indipiſcendam igniculum, ſeu virtutem ineſſe materiæ, quod eſt abſurdum. Hos videat lector ingenuus maximè delirare, & à recto deflectere, qui hac Philoſophi enuntiatione: Anima noſtra in principio ſuæ creationis eſt tanquam tabula raſa, in qua nihil eſt depictum; ſunt auſi affirmare naturales potentias, & impotentias non ineſſe

animæ. An Philoſophus eos impulerit ad id temere dicendum? Non ſanè, ſed imperitia & eorum cæcitas qui minus quàm decet, Ariſtotelem intelligunt. Fateor, nec diffitentur optimi interpretes, animā rationalem in principio ſuæ creationis non eſſe inſigni virtutū moralium & ſcientiarum ſpecimine depictam: non eo tamen inficias, quin natura condonauerit animæ quaſdam virtutes naturales, & quædam præparamenta, quibus dum ratio adoleuerit & conſummatior facta ſit, abſolutam virtutū moralium perfectionem ſibi acquirere poſſit. Vnde Philoſophus dicit cap. ſeptimo ſecundi Magnorum Moralium: Pueris citra rationem quaſdam prius exoriri affectuū appetitiones ad honeſtum: rationem vero poſterius aduenientem ac ratiocinantem, diſcernentémque efficere vt honeſta peragantur. Et vera appetitio naturalis & ipſa ratio eo amore & ſubſidio ſe mutuo fouent, vt ex Ariſtotele cap. trigeſimo quarto, primi libri Magnorū Moralium. Non eſt prorſus ſine ratione, naturalis ad virtutem inſtinctus ac appetitio. Nec rurſum citra naturalem appetitionē, ratio atq; electio admodū perficitur vt ſit virtus. ¶Dices, Si naturales potentiæ non inſint corpori, quonā igitur pacto cognoſcemus corporeā leonis fortitudinē, & leporis agilitatem? ¶Dilutio. Natura rerum ſagaciſſima cum naturales potentias rebus indidit animo latentes, neq; ſenſibus peruias, quædam ſigna, ſeu veſtigia ſenſilia in corpore reliquit, quibus huiuſmodi natiuas paſſiões cognoſceremus: vt leoni dedit magnas ſummitates ad percipien-

dum eius fortitudinem corporeã, dedit & latam frontem ad cognoſcendum eius frugalitatem & communicabilitatem. Sic habere pilos molles, & dormire oculis apertis, eſt ſignum timiditatis in lepore: & exilibus eſſe tibijs, eſt nota agilitatis dignoſcendæ: habere itidem mollem & delicatam carnem, eſt ſignum ingenioſitatis. Nam molles carne, aptos mente dicimus: & caro prædura & calloſa nobis obtuſitatis argumentum obijcit. Harum autem paſſionum optimi coniectores, Phyſiognomones dicũtur: qui certis indicijs res commiſcuntur, & quorum affectuum illis potiſſimum inſita ſit pronitas. Si plura de phyſiognomia requiras, lege dominũ Fabrum ad Ariſtotelem in vltimo cap. ſecundi Poſteriorum.

¶Vt plenior ſit intelligentia pro dicibilibus ſub hac qualitatis ſpecie contẽtis, hoc gloſſema proculcatum huic loco inſigemus. ¶Terminus ſignificans qualitatem ſuo ſubiecto innatam ad bene vel male operandum vel reſiſtendum, ponitur ſub iſta qualitatis ſpecie, vt riſibile, fortis, robuſtus, durum, molle. *Durum, ut deſcribit Philoſophus, eſt quod habet potentiam non facile ſecari: Molle uero, quod eiuſdem ipſius habeat impotentiam.* ¶*Tertia uero ſpecies qualitatis, eſt paſſibiles qualitates & paſſiones.* ¶Paſſio, eſt quædam qualitas facile à ſubiecto dimobilis: quæ ſenſui paſſionem infert, aut quæ à paſſione infertur. Qualitas ſenſui paſſionem infert, quæ ſuam ſpeciem in ſenſum diffundit. Qualitas vero à paſſione infertur, quæ ab affectione vel perturbatione animæ proficiſcitur: quare facilè admodum col-

liges paſſionem homonymum eſſe. Nam aliquã-do ſumitur pro ſpecie cauſata in ſenſu: vt in prima definitionis parte: & interdum pro affectu, ſeu perturbatione animi: vt in ſecũda definitionis parte. Albedo vnius hominis eſt paſſio: nam eſt qualitas facile dimobilis à ſubiecto, quæ ſenſui paſſionem ingerit, id eſt ſpeciem in viſum diffundit. Perpendunt exactè perſpectiui colorem non poſſe viſu percipi, niſi quandam imaginem ſeu ſpeciem viſibilem in viſum diffundat: cuius virtute, color à viſu percipitur. Similiter rubedo ex verecundia in faciem proſiliens, eſt paſſio. Nam ſenſui paſſionem infert, cum ſuam in oculo ſimilitudinem inducit: & ex paſſione emanat, puta pudore, animi perturbatione aut affectione. Redditur ratio quare ex pudore ſeu verecundia emergit faciei rubedo. Nam cum fit verecundia, in os omnis ſanguis egreditur: & velut delictum tecturus effunditur. Ita quoque fit rubor ex ſanguinis progreſſione, atq; in apertum effuſione: quocirca ſi hoc ex innaturali paſſione cõtigerit, naturali facies rubore perfunditur. Pariter pallor ex timore in faciẽ demerſus, eſt paſſio: nam eſt qualitas facile dimobilis, ex paſſione, ſcilicet timore progenita. Fit autem pallor quoties à facie ſanguis ad præcordiorũ interiora deſcendit: quare facies deſtituta ſanguine palleſcit. ¶Quoniam aliqua paſſio infert paſſionem, & à paſſione infertur: & aliquid paſſionem infert, quod tamen non infertur à paſſione, adnotant docti, Quæcunque ex paſſione inferuntur, ſenſui paſſionẽ inferre, non tamen ediuerſo. Vox

enim & lumen, infert passionem sensui: nam vox diffundit in auditum aliquam speciem qua percipitur: pariter lumen quandam sensui imaginem obijcit, qua dignoscitur. Et neq; vox, neq; lumen infertur à passione, id est ab affectione animi.

¶Passibilis qualitas, est qualitas permanens, quæ sensui passionem infert, aut quæ infertur à passionibus: vt albedo cygni, nigredo corui: nam albedo cygni est qualitas permanens, cum nũquã, aut difficulter possit à cygno separari: & hæc sensui passionem inijcit, scilicet speciem seu imaginem, qua videtur. Ita est dicendum de nigredine corui. Aliæ sunt qualitates passibiles, quæ à passione inferuntur: vt color croceus ex cholera, aut plumbeus à melãcholia. Pallor & rubedo ex naturali complexione qualitates dicũtur passibiles: sunt enim qualitates permanentes, id est durant quousque subiectum exhalet, & à passione inferuntur. ¶Neque passibiles nũcupari putes, quòd earum subiecta aliquid patiantur: neque enim mel, vt dicit Philosophus, quoniã aliquid passum sit, dicitur dulce: sed quoniam gustu aliquam passionem, scilicet dulcedinem componit. Nam patimur dulcedinem, cum aliquid dulce gustamus: simúlque secundum caloris & frigoris qualitatẽ talium sensuũ passionẽ subimus. Passibiles igitur qualitates ab affectib⁹, perturbationibúsq; nomẽ sortiuntur: quòd scilicet aliquã passionẽ adferãt, susciténtque affectum, vel quòd ab aliqua passione, perturbationéq; innascantur: vt tactiles qualitates, quæ sunt caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas: pariter gustatiles, vt dulcedo, amari-

tudo, & ita de alijs qualitatibus ſenſibilibus.

¶Inquires, an rubedo ex verecundia emergens, & ex timore palledo, dicantur veræ qualitates.

¶Dicit Philoſophus: *Qualitates facilè ſolubiles, & cito tranſeuntes, paſſiones dici: qualitates uero minimè. Nam ſi quis propter uerecundiam rubore ſuffuſus ſit (quoniam rubor ille non permanet) rubeus non dicitur.* Quòd ſi rubeus diceretur (vt vult Boëti9) eſſet quoq; ipſe rubor paſſibilis qualitas, quoniã in ſubiecto corpore diutiſſimè permaneret. Nunc autem quoniam nullo modo rubeus dicitur, cui à verecundia rubor venit (qualitates autem ſunt ſecundum quas quales vocamur) verecundiæ rubedo non qualitas, ſed quædam paſſio eſt. Nam ſi eſſet qualitas, ab eo rubore rubei dicerentur, id eſt quales, ſed hoc non ita eſt: non igitur huiuſmodi affectiones, quæ non multo durant tempore, qualitates vocãtur, ſed potius paſſiones: paſſus enim aliquis dicitur, qui propter verecundiã rubeus ſit. eadem ratio eſt in animæ paſſionibus. Nam ſi ad momentum quis iratus eſt, non idcirco iratus dicetur. Licet ira percitus diceretur, aut iratus, ſi huiuſmodi vitiũ firmius animo hęreret.

¶*Quartum uero genus qualitatis eſt figura, & circa unumquodq; conſtans forma.* Quarta ſpecies qualitatis ſecundum vnãquanq; formam, figurámq; conſideratur. Et forma numerum, figura vero magnitudinẽ reſpicit. ¶Siquidem forma, eſt qualitas ex numero, aut numeri proportione, deſcriptionéq; proueniens. Et de ijs numeris dici reperitur, qui ſuis vnitatibus diſpoſiti, figuras fermè magnitudinum repræſentant: vt ſi quis ſcrutetur

qualis eſt ternarius?reſpondebitur trigonus:qua-
lis quaternari⁹? eſt quadratus:qualis octonarius?
eſt cubus:hæc enim nomina quãuis re ipſa quã-
titatem ſignificent, eorum tamen ratio eſt qua-
litatis. Sunt enim formæ numerorum trigonus,
tetragonus.Et forma de naturæ magnitudinib⁹
dicitur: vt forma hominis,forma equi, ſecundũ
quam vnumquodq; formoſum aut deforme di-
citur:imò lineam & ſuperficiem, & trigonum &
circulum & huiuſmodi pulchra dici volunt: quæ
decentius (vt dicit Faber) deformata, delinea-
táque conſpiciũtur. Differens de hac ſpecie Boë-
tius,aſſerit formam ipſius figuræ quandam qua-
litatem eſſe: vt figura quidem eſt triangulus vel
quadratum,forma autem ipſius triãguli vel qua-
drati quædam qualitas eſt, ſicut ipſa ſuperficies
quantitas eſt, ipſius vero ſuperficiei compoſi-
tio, qualitas. ¶Figura eſt magnitudo termino
vel terminis cõcluſa:termino,vt circul⁹ & ſphæ-
ra:terminis,vt triangulus,quadratum:quare ſpa-
tium quidem ipſum lineis contentum, ſuperfi-
cies dicitur, quæ eſt quantitas. Sed conſtitutio
ſuperficiei qualitas eſt: & reipſa figura eſt quan-
titatis,ratio vero qualitatis.Triangulus ſiquidem
accipitur pro ipſa ſuperficie,deſignando eam eſ-
ſe tribus lineis rectis conſtitutam. Et ab hac ra-
tionę denominatur ipſa figura eſſe qualitas, vt ſi
quis interroget qualis eſt hæc magnitudo?reſpõ-
detur rectè, eſt circularis, trigonia, tetragonia.
¶Ambigitur,an rarum, denſum,aſperũ,& læue,
hanc ſpeciem ingrediantur? Nam videntur ali-
quam qualitatẽ ſignificare, & in nulla alia quali-

tatis ſpecie recipi poſſunt. ¶Dilutio, Ingenio pollentibus hæc in quarta qualitatis ſpecie non poni, quin potius non dici qualitates, manifeſtum eſt: nã poſitionem, & non qualitatem ſignificant. ¶Spiſſum id dicitur, cuius partes vicinæ ſunt, & adeo contractæ, vt inter eas nullum corpus poſſit incidere: vt ferrum, adamas. ¶Rarum, cuius partes à ſeinuicem ſeparatæ diſtant: vt inter eas alieni generis corpus poſſit admitti: vt ſpongiæ pumicéſq;. ¶Læue, cuius partes cõplanatæ ſunt, in rectum iacentes: quare læuitas cognoſcetur, quoniam partes ita ſunt poſitæ, vt neutra ſuperet, neutra ſit minor: ſed æquis extremitatibus iunctæ ſunt. ¶Aſperum vero eſt, cuius partes aliquæ ſupereminent, & aliæ demiſſæ, inferioréſque ſunt. Ita quòd in aſperitate non eſt æqualis partium poſitio. ¶*Qualia uero ſunt, quæ ſecundum has denominatiuè dicuntur, uel quomodolibet aliter ab his.* Diffinitionem qualium, qualitatis deſcriptioni ſubiungit. Nam in pleriſque qualia denominatiuè dicuntur à qualitatibus, vt ab albedine album, à candore candidum, à grammatica grammaticum. Denominantia, qualitates dicentur: vt albedo, nigredo, fortitudo, iuſtitia, à connotatione dimota. Sed denominãtium denominatiua, qualia dicentur: & hæc vltra id pro quo ſupponunt aliquid deſignant: vt album, nigrum, calidum, frigidum. Sed hoc diſcrimen non debet cuipiam ſuadere qualitatem & quale duo conſtituere prædicamenta. Nam Ariſtoteles, vt inquit diuus Auguſtinus, indifferenter pro qualitate quale poſuit, & qualitatem pro quali.

Sæpe vnum alterius loco ſumimus:vt album eſt qualitas,& quale dicitur. ¶Et licet in plurimis & ferè omnibus, qualia denominatiuè dicantur à qualitatibus: euenit tamen nonnunquam aliquo alio modo, hoc eſt nõ denominatiuè ipſa qualia à qualitatibus dici:quare non iniuria adiecit Philoſophus qualium diffinitioni particulam hanc, vel quomodolibet aliter ab his. Et bifariam contingit qualia non denominatiue à qualitatibus dici. Primo,Quia qualitatibus indita nõ ſunt nomina:quædam denominatiuè à qualitatibus dicĩ non poſſunt, dicuntur tamen qualia: quia aliqua qualitate participant,ſed nõ ſecundum eam qualitatem, ex qua (ſi his eſſet qualitatibus nomen poſitum) poterant appellari: vt in ea qualitate, quæ ſecundum naturalem potentiam dicitur.Illĩ enim quanq̃ quales dicantur ab ipſa naturali potentia ſeu quadam habilitate natiua, ipſi tamen nullo nomine proprio nuncupantur. Vt curſor & pugilator: vt quãdam natiuam potentiam deſignant,qualia nõ denominatiuè dicuntur à qualitatibus,quòd illis naturalib⁹ potentijs indita nomina non ſint. Interroganti cur aliquis dicitur curſor ſi non currat,reſpondemus ſecundum potentiam naturalem:quia habet natiuam currendi habilitatem. Pariter ſi quis quærat cur pugilator dicitur, qui nõdum arte pugilatoria affectus eſt, reſpondebitur: quia habet naturalem artis pugilatoriæ potentiam: quare & curſor & pugilator ſolum dicentur quales à naturalibus potentijs. Secundo qualitatibus indita ſunt nomina,ab his tamen qualia denominatiuè non dicuntur: eo ꝗ

ex illis nominibus non deducuntur : vt ſtudioſus à virtute qualis dicitur : quòd eum ſignificet qui ſibi virtutem nactus eſt, non tamen denominatiuè:nam ſtudioſi nomen, à virtutis nomine nõ deducitur.Et in denominatione quærendũ eſt,vt ſemper idem permaneat nomen.In eo autem qui virtute participat, nulla virtutis denominatio eſt . vt qui bonitate participat, bonus dicitur : qui iuſtitia,iuſtus . qui vero virtute participat, aut probus,aut ſtudioſus nominatur,ſed neque probus,neque ſtudioſus à virtute. Notum igitur eſt qualia denominatiuè à qualitatibus appellari, aut quomodolibet aliter ab ipſis, vt non denominatiuè, ſed aliquoties quidem ſecundum potentiam, aliquoties verò ſecundum eandem qualitatem virtutis . ¶ *Ineſt autem contrarietas ſecundum qualitatem.* Prima proprietas, verius tamen communitas, qualitatis : Qualitati aliquid eſt contrarium, hoc eſt,dicibili qualitatis aliquid contrariatur: vt albedini cõtrariatur nigredo,& calido frigidum . & nomine qualitatis complectimur & quale . Non enim ſolum qualitatis denominantibus aliquid pugnat, ſed etiam denominatiuis.Nam quemadmodum caliditas & frigiditas contrariantur, ita calidum & frigidum. Hæc cõmunitas non omnibus qualitatibus conuenit. Nam circulus, neque quadratum, neque vlla figura cuipiam contrariatur: & tamen figura eſt qualitas . Pariter rubro & pallido & alijs medijs coloribus nihil contrariatur. Nec mirandum eſt ſi albedo & nigredo contrarientur, non autem nigredo & rubedo. Nã albedo & nigredo

colores ſunt extremi,& maximè inter ſe diſtant, quare contraria dicentur : medij autem colores cum non maximè diſtent,contraria non habent: quare rubro nihil erit contrarium . Quòd ſi rubro cõtrariaretur nigredo, & ipſi albedini nigredo contrariaretur, vnius rei duo contraria inuenirentur, quod eſt falſum.Nec ſoli congruit qualitati recipere contraria : nam actioni aliquid eſt contrariũ,vt calefactioni aduerſatur frigefactio. Ex his manifeſtum erit cõmunitatem ſeu conuenientiam qualitatis potius dici q̃ proprietatem.

¶Huic communitati ſubiungit Philoſophus vnã regulam ad cognoſcendum contraria ſub eodem genere,poni.Regula. *Si contrariorum alterum fuerit qualitas,& reliquum erit qualitas : ut ſi iuſtitiæ cõtraria ſit iniuſtitia:qualitas autem eſt iuſtitia, manifeſtum erit iuſtitiam eſſe qualitatem,cum nihil aliorum prædicamentorum ſit.* Et hæc regula non ſolum qualitatibus cõpetit, verum & his quæ nuncupantur qualia. ¶Obijcies, Contraria proprijs nominibus, non contrarij priuatione nominantur : ſed iuſtitia & iniuſtitia proprijs nominibus non appellantur : & iniuſtitia priuationis vocabulo profertur, igitur iuſtitia iniuſtitiæ non contrariatur. ¶Dilutio, Si Maior argumenti concederetur, foret dicendum liberalitatem & illiberalitatem non contrariari : & ita virtuti morali nihil contrariaretur,quod fieri nequit.Multæ enĩ ſunt habitudines priuationis vocabulo prolatæ: vt temperantiæ intemperantia,& prudentiæ imprudentia,quæ tamen à contrarijs nõ reijciũtur, nec oportet omnẽ priuationẽ negationi proferri,

Surditas enim cum sit auditus priuatio, sine negatione profertur. eodem quoq; modo cæcitas. Excerpta est hæc solutio ex Boëtio. ¶*Suscipiunt autem qualia magis & minus*. Secundam protulit qualitatis communitatem, qua magis & minus qualitati seu quali accõmodari voluit. Hanc autem communitatem de dicibilibus qualitatis interpretari licebit,& sensus erit: Dicibilia qualitatis prædicantur cum istis aduerbijs magis & minus intensionem & remissionem designantibus: vt album altero magis aut minus album dicitur, & iustum altero magis vel minus est iustum:hæc enim intensionis crementum & decrementũ sibi vendicant.Verè communitas dicitur,cum sit cõmune qualitati aut quali,magis aut minus amplecti: non tamen proprium, cum nec soli,nec omni congruat qualitati posse intendi aut remitti. Actioni enim & passioni(vt his verbis calefacere & calefieri) competit suscipere magis & minus. Et istis qualitatibus triangulus, quadratum,non congruit intendi & remitti: non enim vnus circulus est magis aut minus circulus. ¶Emergit dubitatio,an iustitia dicatur magis aut minus iustitia:pariter an sanitas dicatur magis aut minus sanitas,& de alijs affectionibus quis poterit ambigere, si intendi aut remitti possint. ¶In hac dubitatione diluenda, tres dicit fuisse sententias Boëtius.Quædam dicebat in omnibus secundum materiæ habitudinem reperiri posse magis & minus.proprium nanque esse materiæ corporúmq; intensione crescere, & minui relaxatione. Hanc sententiam nonnulli Platonicorum aperuerunt.

Alia verò quæ ſecundũ certiſſimas veriſſimáſq; artes atque virtutes,nõ diceret eſſe magis & minus:ſecundum autem medias dici poſſe, vt hæc ipſa grammatica atque iuſtitia non dicitur magis grammatica, neq; magis iuſtitia : eſſe autem quaſdam alias mediocres artes,in quib9 idipſum poſſet euenire. Tertia eſt Ariſto.in hac communitate,ſententia, quæ iuſtitiam, iniuſtitiam, ſanitatem,& ita de ſimilibus nulla intenſione creſcere, nec diminutione decreſcere,putat:ſed earum denominatiua incremento ſubuehi & decremento imminui.Non enim quiſquam dicit magis eſſe ſanitatem, alia ſanitate:aut aliquam iuſtitiam altera eſſe magis, tamen ea quæ ſecũdum has qualitates dicuntur , ſuſcipiunt magis & minus : vt quempiam dicimus altero iuſtiorem,alium ſaniorem,aut magis ſanum. Suſcipiunt igitur qualitates magis aut minus ſecundum ſe,aut ſua denominatiua. ¶*ſimilia uero & diſſimilia,ſecundum ſolas dicuntur qualitates*. Innuit tertia proprietas proprium eſſe qualitatis,ſecundum eam quidpiã dici ſimile aut diſſimile. Nihil enim ab alterius prædicamenti virtute, dicitur ſimile aut diſſimile : quare erit maximè propriũ & peculiare qualitati, vt ſecũdum eam aliquid dicatur ſimile aut diſſimile. Et quemadmodum à ſola quãtitate res denominatur æqualis aut inæqualis ; ita à ſola qualitate res dicitur ſimilis aut diſſimilis : vt Socrates albus,eſt ſimilis alteri homini albo,& diſſimilis homini nigro,ita cygnus eſt ſimilis niui ſecundum albedinem, & diſſimilis coruo ſecundũ albedinem.intueris manifeſtè eandem ſubſtantiã

ſecundum eãdem qualitatem eſſe vni ſimilem & alteri diſſimilem. ¶Adnotabis diligenter ſimilitudinem aut diſſimilitudinem per ſe in qualitatibus conſiderari: & per accidens in ſubſtantijs, quemadmodum æqualitas & inæqualitas per ſe quantitati competunt,& alijs per accidens:vt albedo per ſe albedini eſt ſimilis: & nigredini diſſimilis. Res autem alba, per accidens: hoc eſt ratione qualitatis, alteri eſt ſimilis aut diſſimilis. ¶Similitudo eſt rerum differentium ſimilis qualitas. Diſſimilitudo vero,diuerſa.vt albedo cygni, comparata albedini niuis eſt ſimilitudo:nã eſt rerum differentium cygni & niuis ſimilis qualitas, & eadem albedo nigredini corui comparata, eſt diſſimilitudo:cum ſit duarum rerum differentiũ cygni & corui diuerſa qualitas. Et hæc ſimilitudo duabus ſubſtantijs accommodatur facta ſuarum qualitatum comparatione. ¶Dices, Simile eſt ad aliquid, quónam igitur pacto ad qualitatẽ decumbit? ¶Dilutio, Quanuis ſimile ad aliquid ſit:tamen hoc ipſum quod dicimus ſimile, nõ dicimus niſi quod quale eſt. ¶Suboritur ambiguitas, Cur Philoſophus qualitatum numero aſcripſit plæraq; eorum quæ ſunt ad aliquid? ¶Dilutio, Id non abſurde poſitum eſt:nec quid vt admireris,adfert. Primo, *Quia pene in omnibus talibus genera ad aliquid dicũtur: nihil autem eorũ quæ ſunt ſingularia.* Intellige homonymè, & nõ in eadem ſignificatione ſpecies non eſſe ad aliquid:& genera eſſe ad aliquid, ac ſi diceres has ſpecies homo,equus, non eſſe quantitates: attamen aliquod earum genus quantitas eſt,vt corpus: non

tamen in ea significatione, qua genus illarum specierum est. Est etiam disciplina genus ad aliquid. Nam disciplina alicuius est disciplina. sed eius species, vt grāmatica, musica, non dicuntur ad aliquid. Nam grammatica non dicitur alicuius grāmatica: nec musica alicuius musica, nisi forte secundum suum genus. vt grāmatica alicuius est scientia, & musica alicuius est disciplina: id tamen non fit per se ratione speciei. quòd illæ species re ad aliquid dicantur: quòd si per se non referantur, ad aliquid non erunt, sed qualitates: nā secundum eas quales dicimur.

¶Scientes enim nuncupamur, quòd singulas aliquas scientias adepti sumus. Secundo, Si contingat vnum & idem & quale & ad aliquid esse, nihil erit incommodum aut inconueniens ipsum homonymè, & diuersa ratione in vtrisque generibus collocare.

¶De actione & passione, Scholia.



Qvia Philosophus Physicorum tertio de actione & passione plenius disserit: pauca admodum ad hunc locum de actionis & passionis prædicamētis adferens, solum naturæ eorum duas adiecit communitates: quas, declaratis illarum vocum significationibus, explicabimus.

¶Actio quamuis diuersas habeat significationes, vt in Physicis videbitur, quas cōsulto nunc omittere volui: hoc tamen in loco dicemus, Actionē significare rem esse ab aliquo: Passionē vero rem

esse in aliquo. Et nihil actionem dici putamus, nisi significet rem designando eã ab agente proficisci: vt calefactio dicitur actio, quatenus significat calorem ab igne aut alio quouis agente produci. Similiter nihil censetur passio, nisi significet rem importando eam in aliquo esse aut recipi: vt calefactio dicitur passio, quatenus designat calorẽ in aqua aut alio subiecto recipi. ¶Dicibilia actionis & passionis licet pro eadem re accipiantur, diuersas tamen habent rationes: & suum discrimen à ratione suscipiunt. Nã dicibilia actionis, denotant aliquid esse ab aliquo: vt calefactio à verbo actiuo descendens: importat calorẽ esse ab igne aut calefaciente. Pariter generatio à verbo actiuo, denotat formã quæ generatur esse ab aliquo puta generante. Si enim talis forma à generãte nõ exoriretur, ab actione repelleretur. Passionis vero dicibilia significant rem, designãdo eam esse in aliquo: vt calefactio à verbo passiuo vel passiuæ significationis, significat calorem recipi in aliquo, puta homine vel aqua aut alio subiecto. Similiter generatio à verbo passiuo, significat formam recipi in aliquo subiecto: vt forma substantialis bruti, quatenus à generante proficiscitur, censenda est actio: & est passio in eo quòd recipitur in materia bruti. ¶Obluctaberis, probando calefacere non significare rem esse ab agente, potissimum ab igne, sed probatur oppositum. Dicit Philosophus cap. vndecimo primi libr. magnorum Moralium, Neque enim quodpiam inanime dicimus agere: neq; item animatorum (vno homine excepto) vllum. ¶Dilutio,

ignis agit actione naturali seu physica. Aristoteles autem eo in loco innuere vult, nullum inanime agere actione studiosa seu morali, quæ ex delectu & consilio fit. ¶Perspicue licet intueri eadē voce actionis & passionis esse dicibilia, significatione tamen distincta: hæc enim passiue, illa vero actiue significant: vt generatio & calefactio actionis & passionis dicibilia sunt. Et interroganti in quo prædicamento huiusmodi dicibilia suā sedem habent, facile erit respondere. Nec rebus, sed rationibus disiunxit Philosophus vnum ab altero prædicamentum.

¶Consideres, nonnulla denominatiua voce actiua nuncupari, significatione tamen passiua: vt videre, audire, intelligere. Est enim videre, visionem in se recipere: nam quicquid videt, patitur: quòd si videre esset visionem producere, dicere liceret, colorem videre, quod est absonum. Similiter audire, non est auditionem producere: aliter sonus audiret, sed est auditionem in se recipere. Videns tamen & audiens cum denotant naturalem potentiā videndi & audiendi, recipiuntur in secunda specie qualitatis. Pariter intelligere est intellectionem in se recipere: saltem loquendo de intellectu potentiæ. & licet hæc verba & similia voce sint actiua, non tamen constituentur in actione: quia accōmodatius ad significationem inspiciendum est quàm vocem. Cum igitur significatione passiua sint, recipientur in prædicamento passionis. Nec te deludat stolidum hoc argumentum: Sunt verba actiua, igitur in genere actionis. non enim actionem ex voce perpendimus, sed signifi-

eatione. Sunt etiam quædam verba voce paſſiua, & ſignificatione actiua: vt operari, medicari. & hæc licet voce paſſiua ſint, non propterea deſcendent ad prædicamentum paſſionis, ſed actionis, quia ſignificant rem eſſe ab aliquo. aliqua tamen inueniuntur indifferentis ſignificationis, qualia ſunt communia quæ promiſcuè & indifferenter recipientur in actione & paſſione: nõ tamen neglecta & omiſſa actionis & paſſionis diuerſitate.

¶*Prima communitas actionis & paſſionis: Agere & pati recipiunt contraria.* id eſt, actionis dicibilia inter ſe contraria ſunt: vt calefacere & frigefacere. Similiter dicibilia paſſionis inter ſe pugnãt: vt calefieri & frigefieri.

¶Certabis, Calefacere & frigefacere eidem inſunt, igitur non ſunt inter ſe contraria. antecedens probatur: Aqua tepida calidiuſcula frigefacit: & frigidiuſcula calefacit, igitur eidem inſunt.

¶Hac ratione minutiſſima, quidam ex imperitorum officina obſtupefacti & concitati, auſi ſunt temere Philoſopho obſiſtentes, dicere hæc verba calefacere & frigefacere non eſſe contraria, ſed nihil video vnde muſca debebant deterreri. Et prõpta illi obiectioni dilutio adhiberi ſolet. Quanuis aqua tepida calefaciat frigidiuſcula, & calidiuſcula frigefaciat: nõ tamen calefacit nec frigefacit. nec illud argumentum eſt logicum: aqua tepida frigefacit remiſſe ſeu frigefacit calida: igitur frigefacit. Sicut non oportet aliquod lignum eſſe album, ſi ſit album remiſſe, aliter hypotheſi quadam eſſet album & nigrum diſcretim.

¶Quæres ſi aqua tepida non calefaciat nec fri-

gefaciat, quid igitur facit illa aqua?

¶Dices eam tepefacere. at ſicut tepiditas eſt remiſſa caliditas, & remiſſa frigiditas in eodem ſubiecto quæ non ſunt qualitates contrariæ: ita tepefacere eſt remiſſe calefacere, & remiſſe frigefacere: quæ non ſunt ſimpliciter contraria. Pugnant autẽ intenſe calefacere, & intenſe frigefacere: ſicut intenſa caliditas & intẽſa frigiditas. ¶Poterat dici aquam tepidam nõ calefacere frigidiuſcula, nec infrigidare calidiuſcula, ſed ambo tepefacit. ¶Dices, Tepefacit frigidum, igitur remiſſe calefacit: & tepefacit calidum, igitur remiſſe infrigidat: & ſi remiſſe calefaciat & remiſſe frigefaciat, nunquid calefaciet & frigefaciet? ¶Dilutio, Quanuis calefaciat remiſſe & frigefaciat remiſſe, nõ tamen calefacit nec frigefacit. Et licet cõcedatur aquã tepidã calefacere remiſſe & frigefacere remiſſe, nõ tamen fateri oportet cõtraria eidem ineſſe: quia calefacere remiſſe & frigefacere remiſſe, non aduerſantur: ſicut remiſſe album & remiſſe nigrum. ¶Hæc communitas non eſt dicenda proprietas: nõ enim omni actioni & paſſioni competit. Nam ſecare & percutere non habent contrariũ: neq; ſecari & percuti. Pariter rubefactioni & rubefacere nihil eſt contrarium: vt neq; rubeo, & medijs coloribus. Neq; ſoli cõuenit actioni & paſſioni. Nã qualitati cõgruit. ¶*Secunda communitas, Agere & pati ſuſcipiunt magis & minus*, id eſt, dicibilia actionis & paſſionis prædicãtur cum iſtis aduerbijs magis & minus: vt ignis magis calefacit quàm aër. Aqua magis calefacit quàm aër. Nec aliquo modo eſt

propria actioni & passioni: Nõ enim soli competit,cum dixerim⁹ qualitatem suscipere magis & minus: nec omni conuenit actioni & passioni, vt generare & corrumpere nõ suscipiunt magis aut minus,neque generari & corrumpi. Et quãuis vni sint decem filij, alteri vero solum quinq;, vnus non magis generat quàm alter. Nam generatio est de non esse ad esse mutatio, quæ nec magis nec minus admittit.

¶Dicit diuus Augustinus agere & pati ex qualitatis fonte profluere.Id enim quod calidum facit,calidum sit necesse est, calidũ verò quale esse cognoscimus. Similiter quod calidum fit,passione sui accipit qualitatem:quare perspicuum euadet,agere & pati genere esse similia,contraria vero qualitate:nec modo ordine, verum etiam ratione qualitati iunguntur.Nam recipiunt eadem quæ diximus recipere qualitatem. Contrarietatẽ enim non respuunt,quam qualitas recipit:& magis & minus admittunt, quorum qualitatem diximus receptrícem,hæc ille. ¶Docte admodum & cõsiderate Aristoteles de primis sex prædicamentis disseruit: quoniam eorum vocabula per vniuersam Philosophiã disperguntur, & ad disciplinas plurimũ conferunt. Vltima vero quatuor prædicamenta:puta quãdo,vbi,situm, & habitũ, contractiora fecit:& ea paucis perstrinxit.consulto sanè,quòd eorum vocabula humanis actionibus,vsui vulgari & opificijs accõmodatiora sunt, quàm disciplinis & contemplationi. De illis tamen abunde & scite disserit Cæsarius, quem habent dialectici præ manibus.

¶De postprædicamentis Scholia, & primum de oppositione.



Icut ex antepr ædicamentis viam struxit ad prædicamenta paratissimam : ita post exactam categoriarum discussionem, subiunxit quædam postprædicamenta, documenta sanè & adminicula ad clariorem illorum intelligentiam conducentia. Quorum oppositio(non quidem propositionum sed dicibilium) primum sibi vendicat locum. *Et de oppositis, ut ait Philosophus, quoties solent opponi dicēdum est. dicitur enim alterum alteri opponi quadrupliciter. aut ut ad aliquid, aut ut contraria, aut ut priuatio & habitus, aut ut affirmatio & negatio.* Et cap. decimo quinti Metaphy. Opposita dicuntur contradictio, contraria, ad aliquid, priuatio & habitus. Et quæcunque susceptiuo amborum (vt inquit)non contingit simul adesse. ¶Placuit nonnullis peripateticis dicere annumerationem modorum oppositionis, diuisionem esse homonymi in sua æquiuoca: quorum sententię accedit Iacobus Faber. Quoniam Aristo. ita dixit, de oppositis quoties solent opponi dicendum est. hoc idem quoties ad multiplicitatē pertinet æquiuocationis. ¶Qui oppositam & aduersam huic foueret sententiam, non abnegaret diuersum esse contradictionis, contrarietatis, & ita de reliquis oppositionem : nihilo tamen concludendum esset oppositorum diffinitionem esse æquiuocam.

¶Opposita enim dicuntur quæ simul de eodem

& eodem modo verificari nõ possunt: aut si ma-
uis diffinitionem Philosophi, Quæcunq; suscepti-
uo amborum non cõtingit simul adesse. hæc au-
tem diffinitio seu verius descriptio, cõuenit ęqua
ratione cõtrarijs, cõtradictioni, & reliquis oppo-
sitorum membris, in hanc descendit sententiam
Boëtius, qui ita ait: Si ea quæ sub oppositione po-
nuntur, oppositionis nomen diffinitionémq; su-
scipiunt: quid est dubiũ oppositionem non æqui-
uoce prædicari? Hoc tamen certamen relinqui-
mus lectoris arbitrio, qui discussa sagaciori men
tis scrutinio vtraq; opinione, cui volet ęquius ac-
cedet. ¶Sed ad enodãdam oppositorũ diffinitio-
nem redeamus. ¶Opposita dicuntur, quæ simul
de eodẽ & eodem modo verificari nõ possunt: id
est, Sũt quædã dicibilia quæ de eodẽ singulari re-
spectu eiusdem verificari non possunt, vt sanũ &
ęgrũ. Nam de eodẽ singulari verificari non pos-
sunt. Non enim Socrates est sanus & æger, nec
quicq̃ aliud pariter videns & cæcum, calidum &
non calidũ. ¶Hæc particula eodem modo, haud
perperã adiecta est: nam q̃uis quædam opposita,
vt relatiua, de eodem singulari verificentur, non
tamen eodem modo respectu eiusdem. vt quãuis
Socrates aut quiuis alius hominũ sit, pater & fi-
lius: non tamen respectu eiusdem: ita dicendum
est de dimidio & duplo, quæ quatuor accõmodan
tur. Nam quatuor, dimidium est ad octo, & du-
plum ad duo: non tamen cuius est dimidiũ, est du
plum. Quare inficiari nemo poterit, oppositorum
diffinitionem non competere relatiue oppositis.
¶*Quæcunq; igitur ut ad aliquid opponuntur, ea ipsa*

quæ ſunt oppoſitorum dicũtur aut quomodolibet alter ad ipſa. ¶Diffiniuntur relatiuè oppoſita per analogiam primæ diffinitionis ad aliquid: ſcilicet ſunt dicibilia quæ oppoſitorũ dicũtur, id eſt veri- ficantur de ſeipſis cum genitiuo ſui oppoſiti, vel quomodolibet aliter ad aliud. hoc eſt, cum aliquo obliquo, vt pater & filius. Pariter album & albe- do relatiue opponuntur. ¶Relatiua autem æqui- parantiæ quæ de ſeipſis cum ſuo ipſorũ obliquo verificãtur, vt æquale, ſimile, nõ ſunt relatiue op- poſita: quia non referuntur ad alia. Nã ſimile nõ dicitur diſſimilis ſimile, aut ęquale inæqualis ęqua le. Sed nonnihil habẽt cõueniẽtiæ cũ relatiue op- poſitis: quia non dicũtur de eodem ſimile & diſ- ſimile, reſpectu eiuſdem: nec æquale & inæquale. quare reuehẽtur ad ea quæ proprie ſunt relatiue oppoſita. ¶Alia ſunt relatiue oppoſita proprie, & poſſunt diffiniri per analogiam ſecundæ diffini- tionis ad aliquid, quòd ſunt oppoſita quibus hoc ipſum eſſe, eſt ad aliud quodammodo ſe habere: vt duplum & dimidium, pars & totum. hanc diſ- finitionem ſoli termini de genere ad aliquid reci- piunt. ¶Diſcreta facit Ariſtoteles quæ ad aliquid opponuntur, ab his quæ opponuntur vt contra- ria: nam quæ ad aliquid opponuntur, quodã mo- do ad ſeinuicem dicũtur: vt duplũ dimidij duplũ eſt: & dimidium dupli dimidium. *Quæ uero aduer- ſantur, ut contraria, nullo modo ad ſeinuicem dicũtur: ſed contraria ſibi inuicem dicuntur: ut album & ni- grum contraria, non referuntur ad ſeinuicem, ſed ſunt ſibi inuicem contraria*: non enim album nigri albũ eſt, ſed contrarium Neque bonum mali bonum

est,sed contrarium.¶Contraria sunt quæ sub eodem genere posita,maximè à seinuicem distant, & eidem subiecto vicissim insunt,à quo mutuo se expellunt,nisi alterum eorum insit à natura.Illa sub eodem genere posita sunt, quæ sub eodem prædicamento continẽtur: quare diuersorũ prædicamentorum dicibilia non contrariantur.Maxime distant, hoc est designant formas maximè adinuicem repugnantes & differentes, si de ipsis denominatiuis fiat sermo : si vero de contrarijs denominantibus agatur, maximè distant,hoc est maxime repugnant & ad inuicem aduersantur. Eidem susceptibili vicissim insunt:hoc est successiue de eodem singulari verificari possunt, si talia fuerint denominatiua.Si vero denominantia, vicissim insunt hoc est successiue eidem subiecto accidere seu inhærere possunt, à quo mutuo se expellũt, hoc est non possunt eidem singulari simul inesse: nec prædicatione, nec denominatione, nisi alterum insit à natura , id est ab exortu naturę cuipiam cõgenitum.Vel,vt dicit Clichtoueus,Nisi alterum eorum fuerit accidens inseparabile naturaliter subiecto conueniens . De contrarijs exemplum: vt maxime album & maxime nigrum, sunt enim sub eodem genere posita, id est sub eodem prædicamento:pariter sub eodem genere propinquo, scilicet colorato : & maxime inter se distant, quia designant formas maxime inter se repugnãtes.Vicissim insunt,vt de pariete successiuè verificari possunt : & mutuo se expellunt, quia vnius affirmatio alterius est negatio. Nam si paries sit maxime albus, facile est depre-

hendere, maxime nigrum ab eo remoueri. Et nullum illorum designat formā accidentariam, quæ insit parieti à natura. ¶Cum substantia quædam habet à natura qualitatem sibi congenitam, non oportet illi contraria vicissim inesse : vt cum fuerit igni caliditas congenita, nō potest natura frigiditas ei inesse : nec aquæ à natura, & à suæ naturæ dexteritate potest caliditas inesse, cum sit natura summè frigida. ¶Contrariorum quædam sunt, quæ solum adesse suis subiectis nata sunt, non etiam prędicari: vt albedo, nigredo, caliditas, frigiditas. Nam horum nihil de substantia prædicari natum est : cum nulla substantia sit albedo, aut nigredo, aut alia qualitas: illæ tamen qualitates natæ sunt suis adesse subiectis. Alia sunt, quæ & prædicari & inesse dicuntur: vt denominatiua illorum, puta album, nigrum, calidum, frigidum. Ideo Aristoteles contraria immediata definiens adiunxit, vt in quibus nata sunt fieri, aut de quibus prædicari: vt contrariorum cum denominantium, tum denominatiuorum diuersitas deprehēderetur. ¶Et cum Philosophus ex ijs quæ maxime sunt talia, declaret ea quæ magis & quæ minus sunt talia : per maximè contraria & simpliciter, ostendit quæ aliorum magis quæve minus sunt contraria. Abundè declarat cap. 10.5. Metaphysic. cōtrariorum diuersitatem, vbi dicit cōtraria esse diuersa specie, aut omnia, aut ea quæ primo dicuntur, diuersa specie. sunt & ea, quorū in generis vltima specie, diuersæ sunt rationes, vt homo & equus, quæ genere quidem sunt indiuidua, at rationes habent diuersas, Contraria

non ſimpliciter ex maximè contrariorum defini‑tione,ſola hac exēpta particula maximè, cogno‑ſcuntur. ¶Ponit Boëtius diſcrimen inter contra‑ria & repugnantia. Contraria definita ſunt: repu‑gnantia contrariorum ſunt conſequentia, verbi cauſa: Contraria ſunt dormire & vigilare: ſterte‑re dormientibus adiunctum eſt, quare ſtertere & vigilare ſunt repugnātia. Pariter prudētia cōtra‑ria eſt imprudētiæ. fraudibus ac impoſturis ob‑noxiū eſſe, imprudētiā ſequitur: quare fraudibus ac impoſturis obnoxiū eſſe, repugnat prudentiæ. ¶Contrariorum partitio in contraria immedia‑ta & mediata. ¶Contraria immediata, ſunt con‑traria, quorum neceſſe eſt alterū ſuo proprio ſu‑ſceptibili ineſſe. Proprium appellant ſuſceptibile, de quo diſiunctum ex ipſis vniuerſaliter prædica tur, vt ſanum & ægrum. Nam neceſſe eſt alterū illorum ſuſceptibili ſubiecto, puta animali ineſſe: cū hæc ſit vera, omne animal eſt ſanū, vel ægrū. Verum animal, cum vtrunque ſuſcipere poſſit, non abs re proprium eorum ſuſceptibile cenſe‑tur. Nec aliter quàm par & impar reſpectu nume ri: nam omnis numerus, eſt par vel impar, & cō‑trà. ¶Sanum vocant medici, quod in ſuis qualita‑tibus & humoribus commodè temperatum eſt. ¶Aegrum bifariam definiunt. Primo, Aegrum quod in ſuis qualitatibus, & humoribus intempe‑ratum eſt. Secundo, quod in aliquo huiuſmodi deficiens, manifeſtam lęſionem habet. Primo cæ‑pit Ariſtoteles, cum dixit ſani & ægri nullum eſſe medium. Secūdo, Galenus & cæteri medici, qui dixerunt inter ſanum & ęgrum aliquod medium

posse occurrere: cum videlicet animalis qualitates, & humores, aut huiusmodi lapsa sunt, sed apertam non præferunt læsionem. Tale fit per abnegationem medium, quod non sit ægrũ, neq; sanum. Sed ne falcem in alienam messem mittere videamur, de his subticebimus, quæ forsitan ab instituto nostro aliena sunt.

¶Contraria mediata, sunt quorum non necesse est alterum suo proprio susceptibili inesse: sed intercedet medium, quod si nominatum fuerit, medij nominati cõtraria dicentur. Si vero per abnegationem sumatur, medij innominati contraria nuncupabuntur: vt album & nigrũ, respectu animalis contraria sunt mediata: non enim necesse est alterum illorũ animali inesse: cum non oporteat omne animal esse album vel nigrum: quippe fieri potest & nihil prohibet, animal esse flauum, aut fuluum. Sic iustum & iniustum ad hominem contraria sunt mediata, cum non sit necesse alterum illorum inesse homini. Nam puer, nec est iustus, nec iniustus, cum in ea teneriuscula ætate nondum exerceat actiones iustitiæ aut iniustitię.

¶Album & nigrum contraria sunt mediata medij nominati & affirmatiui. Nam flauum, fuscum, purpureum, puniceum, media sunt illorum extremorum nominata. Pariter tepidum, medium est positum inter calidum & frigidum.

¶Iustum & iniustum cõtraria sunt mediata medij innominati, cum non sit positum medium inter illa affirmatum. Sed sola negatione exprimendum est: quod nec est iustum, nec iniustum. Similiter bonum & malum mediata sunt con-

traria medij innominati. Nullum enim affirmatum medium eorum interstes est: sed negatione vtriusque extremi vtendum est: quod nec est bonum neque malum: vt puer anniculus, nec est bonus nec malus. ¶*Priuatio uero & habitus dicuntur quidem circa idem aliquid: ut uisio & cæcitas circa oculum.* ¶Priuatiuè opposita sunt habitus & priuatio, quæ habent fieri circa idem ordine irregressibili, & tempore à natura determinato.

¶Habitus hoc in loco affirmatione designatur, & est terminus qui nullam negationem includit: vt videns aptitudinem videndi denotans habitus dicitur: quia affirmatione exprimitur, & nullam negationem includit. ¶Priuatio, vocabulo priuationem importante designatur, & est terminus qui negationem includit priuantem.

¶Negatio priuans: est quæ negati potentiam, seu aptitudinem importat. Exemplum de priuatiuè oppositis, videns & cæcum. Nam sunt habitus & priuatio: videns enim est habitus, naturalem denotans videndi potentiam, qua significatione concedimus dormientem esse videntem. qui natus est in luce videre. Et talis habitus sub secunda qualitatis specie recipitur: licet alio in significatu quo significat visionem esse in aliquo, ad prædicamentum passionis descendat. Et cæcum est priuatio, cum sit terminus priuātem includens negationem, sensum ei respondentem explicando: vt cæcum ex Aristotele, est animal quod non videt cum sit natum videre: hoc est quod non intuetur tempore sibi à natura ad videndum determinato. Hinc colligimus catulum

ante nonum diem non esse cæcum: cum non sit tempus à natura præfixum vt videat. Si tamen post nonum diem non videat, cum in illo tempore sit natus ad videndum, dicetur cæcus. Deinde videns & cæcum habēt fieri circa idem, puta oculum, seu aptitudinem videndi. *Nam generatim, ut inquit Philosophus, circa quodcunque natus est fieri habitus, circa idem, & utrunque fieri debet, habitus uidelicet & priuatio*: quare cæcitatem nulli alteri à visu sensui accommodare poteris: quia suus habitus, puta visio, soli visui ascribitur. Ordine irregressibili: hoc est à priuatione ad habitum, per naturæ potētiam, impossibile est mutationem fieri: licet ex habitu in priuationem fieri possit mutatio. Non enim possibile est à cæcitate in visum mutationem & regressum fieri, nec certandum puto de diuina potentia, cum ex sacris proditum sit literis, deum humanæ naturæ amantissimum cæcis visum restituisse, & eos videndi radijs fulgidissimis perfudisse. Vnde Matthæi nono memorię proditum est Christū duos homines à cæcitate liberasse, qui ingenuè fatebātur deum id posse efficere. Nec sum nescius id vetulam non latere, sed sit conflictatio de naturæ physicæ potentia, de qua Philosophus loquitur. Pariter audiens & surdus priuatiuè opponuntur: vt simili probatione suadere poteris.

¶Definitio priuatiuè oppositorum datur de priuatiue oppositis potentiæ, in quibus negatio priuans occulta, negat potentiam, sed aptitudinem relinquit: vt cæcum, quod natura non potest videre, tamen natum est videre. Surdum quod non

poteſt audire, aptum tamen eſt audire: huius ſententiæ eſt Clichtoueus, dicit tamen Philoſophus edentulum dicimus, non quod non habet dẽtes, & cæcũ non quod nõ habet viſum: ſed quod non habet quando natum eſt habere: aliqua enim ex natiuitate, neque dentes habent, neq; viſum: ſed non dicuntur edentula, neque cæca: hæc ille.

¶Priuatiuè oppoſita actus, ſunt habitus & priuatio, quæ habent fieri circa idem ordine regreſſibili. Et in illis negatio priuans, ſolum actum negat, & negati potẽtiam importat, vt ſunt ſonorũ & ſilens, luminoſum & tenebroſum. Sunt enim habitus & priuatio, cũ ſonorũ & luminoſum ſint habitus, ſilens & tenebroſum priuationes: & habent fieri circa idem, ſcilicet aerem, ordine tamẽ regreſſibili. Nam vt ex ſonoro fit aer ſilens, ita ex ſilẽte fit ſonorus: & ſicut ex luminoſo fit tenebroſus, ita ex tenebroſo fit luminoſus. Et ſilẽs dicitur quod non eſt, ſed poteſt eſſe ſonorum: tenebroſum quod non eſt, ſed poteſt eſſe luminoſum.

¶Obijcies, A priuatiõe (vt inquit Philoſophus) ad habitum fieri mutationem impoſſibile eſt: igitur ex tenebroſo aere non poteſt fieri luminoſus.

¶Dices Philoſophum loqui de priuatione eorum quæ ſimpliciter priuatiuè ſunt oppoſita, quæ dicuntur priuatiuè oppoſita potentiæ.

¶Diſſidẽt priuari & priuatio, pariter habere habitũ & habitus. Homo enim qui priuatur potentia ſeu aptitudine vidẽdi, non eſt ſua priuatio, nec habere viſum eſt habitus. quod variè oſtenditur. Primo, *Cæcum eſſe non eſt cæcitas, ſed eſt priuatum eſſe: & cæcitas priuatio. & uiſum habere nõ eſt uiſio.*

Non igitur idem erunt priuatum esse & priuatio: itidem habitum habere,& habitus. ¶*Amplius, si cõtingeret idem esse cæcum & cæcitatem,utraque de eodem prædicarentur:quod est falsum*.Nã cæcus dicitur homo,cæcitas vero nullo modo de homine prædicatur: ita habere visum non est visio:nam homo habet visum,& nõ dicitur visio.Et ait Boëtius,aliud est habitus,aliud qui habet,& aliud habere habitũ. Nã habitus,vt visus,qualitas quædã est,& naturalis potẽtia vt'videtur: qui habet, homo est:& habere habitũ,& homo & qualitas est. Hinc cõsidera habitũ & qui habet,re ipsa duo esse:sed qui habet,& habere habitũ sola ratiõe duo, vt adnotauit Faber:nã pro eodẽ sumũtur.Et priuatio & cæcitas, carẽtia visus est,& qui habet,homo est:& priuatũ esse, & homo,& hmõi carẽtia. ¶Et quanuis non sint idem,priuatum esse & esse priuationem: & habere habitum, & ipsum habitum:illa tamen cum priuatione & habitu aliquo modo cõueniunt.Nam vt habitus & priuatio inter se priuatiuè opponuntur,ita priuatum esse & habere habitum. sicut enim cæcitas visui opponitur: ita cæcum esse ei quod est visum habere, oppositũ est. ¶Quoniam sermonem inflexímus ad priuatiue opposita, congruum erit ostendere quónam pacto priuatiuè opposita,non vt relatiue opposita pugnant. ¶*Relatiuè opposita ea ipsa quæ sunt oppositorum dicuntur, aut aliquo modo ad illa: sed priuatiuè opposita oppositorum non dicuntur. Non enim uisus cæcitatis est uisus, nec cæcitas uisionis cæcitas: quanuis uisionis priuatio sit,igitur priuatiuè opposita, non ut relatiuè opposita op-*

ponuntur. *Amplius relatiuè opposita, ad conuertentiam dicuntur: at priuatiuè opposita ad conuertentiam non dicuntur: ut cæcitas minimè ad conuertentiam cum uisione dicitur*, igitur manifestũ est aliã esse & diuersam priuationis à relatiuè oppositis oppositionem. ¶Habent & priuatiuè opposita diuersam à contrarijs cum immediatis, tum mediatis oppositionem. *Ab immediatis quidem hoc discrimine discreta sunt: nam huiusmodi ut in quibus fieri nata sunt, aut de quibus prædicantur, semper alterum insit necesse est: ut sanitatis & ægritudinis necesse est alterum susceptibili, puta animali inesse.* Id autem de priuatiuè oppositis neutiquã oportere cognoscetur: neque enim susceptibili alterũ eorum inesse oportet. Nam quod nondum natura præscriptum est, & determinatum ad videndum: neque cæcitatem, neque visionem illi inesse dicimus: vt de catulo ante nonum diem perspicuum euadit, quãuis vtriusque susceptibilis sit: non igitur priuatio & habitus opponũtur, vt cõtraria immediata. ¶Aliam autem esse priuatiuè oppositorum à contrarijs mediatis oppositionẽ facile est demonstrare. *Nam contrariorum mediatorum non est necesse alterum inesse susceptibili: etiam à natura benè nato & determinato ad alterum eorũ recipiendum. Non enim omne albi aut nigri, calidi aut frigidi susceptibile, album aut nigrum, calidum aut frigidum esse necesse est: cum inter album & nigrum, pariter inter calidum & frigidum, possibile sit medium occurrere. At priuatiuè oppositorũ omni eorum susceptibili, tempore à natura determinato alterum inesse necesse est: ut necesse est animal esse cæ-*

cum aut uidens, tempore à natura ei definito & determinato ad uidendum. ¶ Rursus. *Contrariorum susceptibile nunc in unum, nunc in alterum permutari potest: ut quod sanum est, in ægritudinem decidere potest: & quod ægritudine malè affectum est, sanescere potest: & quem prauum intuemur, fieri potest ut resipiscendo, studiosus euadat: & ediuerso*. Eam autem reciprocam mutationem in priuatione & habitu inuenire non contingit: quanuis enim ex visione in cæcitatem permutatio fiat, nulla tamē fiet natura regressio ex cæcitate in visionem.

¶ Contradictoriè opposita, sunt quæ subiacent affirmationi & negationi: hoc est, sunt finitum & infinitum. Nam quæ subiacent affirmationi, termini sunt finiti. Quæ vero subiacent negationi, termini sunt infiniti: vt album, nō album: homo, non homo, termini sunt contradictoriè oppositi. Hic non agitur de cōtradictorijs complexis: hoc est de his quæ sunt propositiones diuersæ quantitatis & qualitatis repugnātes, & veritate & falsitate. nam de illis differit Philosophus primo peri Hermenias. Non desunt tamen homuntiones & imperiti, qui pertinaci errore & inueterata inscitia squalentes, asserunt temerè Philosophum in hoc oppositionis postprædicamento loqui promiscue de propositionibus contradictorijs & incomplexis contradictoriè oppositis. Sed ex obliqua textus intelligentia, monstra pepererunt.

¶ Contradictoriorum oppositio per omnia spatiatur prædicamēta: vt in substantia, homo, & nō homo, contradictoriè opponuntur. In quantitate pedaneum, non pedaneum: & in cæteris facilè

inuenientur. Nam cuiusque prædicamenti dicibili, adijciendo negationem infinitátem, fit oppositio contradictoria. ¶Si scruteris in quo prædicamēto sint termini infiniti, dicam quod cum Aristotele sentio, terminos infinitos per se in nullo reponi prædicamento: quia de ipsis nullum particulare fecit prædicamentum. Sunt tamen per accidens in prædicamento sui termini finiti: vt non homo est per accidens in substātia: quia suus terminus finitus est per se in substantia. Ratio hæc assignari solet, negatio ad affirmationē reducitur: ita termini priuatiui sunt per accidens in prædicamento sui termini positiui: vt cæcum & surdum, in secūda specie qualitatis. Nam eorum positiui termini, puta videns & audiens, sunt per se in secunda specie qualitatis: relatiuè vero propriè opposita in genere ad aliquid: & contraria potissimum in prædicamēto qualitatis inueniuntur. Augustinus quinto de Trinitate, capite septimo, inquit, qui dicit non homo, non negat aliud prædicamentum à substantia, quare infiniti termini, erunt per accidens in illa categoria, in qua sunt per se eorum finiti termini.

¶Aristoteles contradictorie opposita designat affirmatione & negatione. Et ea quæ opponuntur, vt affirmatio & negatio, res ipsas, quę sub affirmatione & negatione sunt: vt res suis signis subiectæ, intelligit. Id aperire conabimur, Socrates sedet, Socrates non sedet, sunt affirmatio & negatio oppositæ: hoc est affirmatiua propositio & negatiua contradictoriè oppositæ. Sedere autem & non sedere, quæ sub affirmatione & nega-

tione iacent, opponuntur vt affirmatio & negatio. Differũt autem affirmatio & negatio, & quæ ſub affirmatione & negatione iacẽt. Nã affirmatio, oratio affirmatiua eſt, negatio, oratio negatiua. At quæ ſub affirmatione & negatione iacent, nõ ſunt oratio affirmatiua aut negatiua. Eadẽ vt dicit Boëtius in ijs ratio eſt, quæ ſunt ſub affirma tione & negatione: quę in ijs quæ ſub priuatione atq; habitu ponebantur. Nam ſicut nõ eſt idem habitus atq; priuatio, quod habere habitũ atque priuari: ita non idẽ eſt affirmationẽ & negationẽ eſſe, & id quod eſt ſub affirmatione & negatione. Affirmatio eſt, verbi gratia, ſedet Socrates: negatio vero, nõ ſedet Socrates. Sub affirmatione autem hoc ipſum ſedere Socratẽ, id eſt, hoc quod affirmatio dicit, facere. Sub negatione vero nõ ſedere Socratem, id eſt non facere id quod negatio ſubmouet, *conueniunt tamen affirmatio & negatio, & quæ ſub affirmatione & negatione iacent. Nam quæ ſub affirmatione & negatione locantur, ut affirmatio & negatio opponi dicuntur: idẽ enim utriſque oppoſitionis modus.* Nam vt oratio Socrates ſedet, opponitur huic negationi, Socrates non ſedet: ita ſedere & non ſedere res ſub affirmatione & negatione iacẽtes, opponi dicuntur. ¶Vnum tamen quod à Fabro accepimus, adnotatione dignum eſt. Vt enim orationes ſine rerum conſideratione contradictoria non aduerſantur oppoſitione: ita quoque neque res ſine orationum ratione dicuntur, vt contradictorie oppoſitæ.

¶Hæc affirmationis & negationis oppoſitio, à cæteris oppoſitionum ſpeciebus diſcrimen habet.

Nam in his que tanquam affirmatio & negatio opposita sunt, necessarium est hoc quidem eorum verum esse, alterū vero falsum: vt necesse est Socratem sedere vel non sedere. Sed neque in contrarijs, relatiuis, priuatiuè oppositis, necesse est eorum vnum esse verum & alterum falsum: cum eorum quæ nulla complexione dicuntur, nihil neque verum neque falsum est: at quæ supradicta sunt omnia, sine complexione dicuntur.

¶Sed dicet quispiam, Si contraria, & alia opposita cum cōplexione sumantur, oportebit vnū esse verum & alterum falsum, vt dicendo, Socratem sanum esse, & Socratem ægrum esse, mox videbitur vnum verum & alterū falsum. ¶Licet sumantur, cum cōplexione cōtraria, aut alia opposita, non est necesse alterum esse verum & alterū esse falsum: vt enuntiando Socratem sanum esse, & Socratem ægrum esse (si Socrates sit) alterum esse verum & alterum falsum non diffitemur. Si vero non sit, vtrumque falsum est: quare non est necesse in ijs secundum complexionem contrarijs vnum esse verum, & alterum falsum: in priuatione vero & habitu simile perpēdetur. Si enim nō sit Socrates, minime verum est enuntiare Socratē esse cæcum, aut Socratem esse videntem: sed falsum vtrique congruit. Neque si visionis susceptibile sit, necesse est vnum esse verum & alterum falsum. Nam quanuis susceptibile fuerit, si tamen nondum tempus sit ei à natura determinatum, vt habitum recipiat, neutrum illorum esse verum oportebit, sed ambo falsa erunt. Nunquam enim verum est affirmare quidpiam esse

cæcum aut videns, si nondum sit natum visionem recipere. *At in oppositis affirmatione & negatione, necessarium est unum esse uerum, & alterum falsum. Nam siue Socrates sit, siue non: uerum est Socratem languere uel non languere. Quare manifestum erit solis affirmatione & negatione oppositis peculiare & proprium esse: semper eorum alterum uerum esse, & alterum falsum.* Quæ igitur contradictoriè opposita sunt, alio modo à reliquis opponi dicuntur.

¶Demum subnectit Philosophus sex contrariorum communitates. Prima. *Bono contrarium est malum*: vt sanitati lãguor aduersatur. Liberalitas autem bonum, aduersatur prodigalitati malo, vt medio extremo: nec bonum bono pugnat. Nam perfecta est boni ad bonum harmonia, sicut veri ad verum consentio.

¶Secunda, *Malum aliquando bono, & aliquando malo contrarium est*: vt ægritudo malum, contrariatur sanitati bono. Et intemperantia malum, aduersatur temperantiæ bono. Etiam intemperantia malum contraria est insensibilitati malo, vt excessus defectui. Similiter prodigalitas aduersatur illiberalitati.

¶Contendes, Tantum vnum vni cõtrarium est, igitur malum non potest bono & malo contrariari. ¶Dilutio, Non negandum est tantum vnũ vni esse contrarium vna & eadem ratione, sed non est incommodum vnum pluribus cõtrariari diuersa ratione. prodigalitas enim aduersatur liberalitati, vt extremum medio: & contrariatur illiberalitati, vt extremum extremo.

¶Tertia, *Si unum contrariorum sit, alterum ut sit non est necesse*: vt si sanitas accidat animali, suum contrarium, puta ægritudo, non erit. si enim omne animal sit sanum, non erit ægritudo. Et si omnis homo esset iustus, nulla esset iniustitia.

¶Quarta, *Impossibile est cõtraria simul eidem inesse*: vt fieri nequit idem simul esse sanum & ægrum. Et si Socrates sit albus, nigrum de Socrate negabitur. Hæc communitas, dignitas est in logica, adeo clara vt probatione non indigeat.

¶Quinta, *Palam est contraria circa idem aut genere aut specie nata fieri*. Specie quidem vt iustitia & iniustitia circa animam hominis. Omnis enim anima quæ iustitiam & iniustitiam recipit, rationalis est, & solius hominis: sed omnes homines idem sunt secundum speciem, omnes igitur animæ rationales eædem secundum speciem sunt. Genere, vt sanitas & languor circa corpus animalis. est enim animal omnium animalium vnũ genus. Et albedo & nigredo circa corpus. Est enim corpus substantiale vnum genus.

¶Sexta, *Necessarium est omnia contraria, uel in eodem genere esse, uel in contrarijs generibus, uel ipsa genera esse. Albedo enim & nigredo sub eodem genere propinquo sunt, puta colore. Iustitia & iniustitia in contrarijs generibus. illius nanque uirtus genus est: huius autem uitium*. Virtus & vitium genera sunt contraria, & sunt sub eodem genere remoto, puta habitu: & sub contrarijs generibus propinquis ponuntur. nam virtus est sub bono, & vitium sub malo. Bonum autem & malum, non sunt in genere virtutis & vitij: sed sunt illorum

genera..Bonum enim genus eſt virtute communius. Pariter malum communius eſt vitio.

¶De priore ſcholia.



Iſcuſſo de oppoſitione primo poſtprædicamento, ſecundum aggrediemur:in quo de varia prioris natura, fit determinatio. *Quadrifariam accidit quippiam alio prius dici. Primo quidem tempore: & id quidem maxime & propriiſſimè:* vt quod alio antiquius eſt, & duratione præcedit, eo prius cenſetur: vt æternum prius eſt caduco. & trigeſimum agens annum, eo prior eſt, qui duodecimum duntaxat annum agit:& dum proprie loquimur ſecundum temporis præceſſionem, aliud antiquius dicimus & aliud ſenius. Antiquius quidem in ijs quæ inanimata ſunt:vt quibuſdam placet. Senius vero in animatis: vt ſi quis dicat bellum Thebanorum atque Græcorum antiquius fuiſſe Troiæ excidio, idcirco quòd tempore præcedat: filij nanque ducum qui Thebano excidere prælio, Troiano conflictui interfuerunt: vt Diomedes & Sthenelus. Et id quidem ita eſſe approbat Boëtius, nec refragatur Porphyrio, qui cenſuit in rebus inanimatis antiquius dici: cum dicimus antiquiorem eſſe dominationem regum in ciuitate Romana, quàm conſulum magiſtratum:in rebus vero animatis, ſenius vocamus. Seniorem nanque dicimus Pythagoram Socrate: Socratem Ariſtotele.

¶*Secundo, quòd non conuertitur ſecundum ſubſiſtendi conſequẽtiam:*hoc eſt,ſine altero eſſe poteſt, alterum autem ſine eo ſubſiſtere non poteſt: vt vnum duobus prius eſt: nam duobus exiſtentibus,vnum eſſe neceſſe eſt: at vno ſubſiſtente,duo exiſtere nõ eſt neceſſarium. Et ſummatim, quod conſequitur aliud, ſed non antecedit ad illud:id dicitur à quo non conuertitur eſſendi ſeu ſubſiſtendi conſequentia: vt animal genus, ſua ſpecie puta homine prius eſt ſecundo.Nam ſi homo ſit, nõ poteſt nõ eſſe animal:& animali ſubſiſtente, hominem exiſtere non oportet. Et eadem ratio in quibuſlibet alijs ſuperioribus ſeu communioribus inueniri poteſt.

¶*Tertio, Prius ordine*. & illud eſt quod alterum quodam ordine præcedit. Quod in diſciplinis & orationibus perſpici poteſt:vt elementa in Geometria figurarum deſcriptione & delineatione priora ſunt. Et principia contemplandis priora ſunt concluſionibus.Nam ex ijs, viam nobis conficimus ad contemplandã concluſionem de qua poteſt haberi ſcientia. Et in orationib⁹ apud rhetores exordium prius eſt narratione. ¶Sed quoniam in rerũ varietate diuerſum contemplamur ordinem: ne quid attentum lectorem lateat, varios ordinis modos explicare ſtudebo.¶Quidam eſt ordo doctrinæ, quo quidpiam alio cognoſcitur:vt ordine doctrinæ,principia concluſionibus priora ſunt. Et in logicis nomen & verbũ, priora ſunt hoc ordine enuntiationibus,ſicut in grãmaticis literæ,ſyllabę,dictiones,priores ſunt orationes. Nã ex ſimplicium & partium cognitione,

in disciplinis ad compositiora & totius cognitionem recte proceditur. Et qui hunc ordinem discentibus commodissimum præuertunt: portentosa quædam monstra parturientes, sua imperitia & atechnia vaframentísque callidissimis tenella ingenia eludunt: & animum ad bonas disciplinas natum, perniciosissimis quibusdam argutijs obtundunt: & persimiles sunt ijs qui currum ponunt ante bouem. ¶Alius est ordo naturæ: quo perfectiora sunt priora: vt substantia, accidente: & simpliciora priora sunt compositis.

¶Tertium, est ordo situs: quo secundum loci situm quibusdã seriatim stãtibus primus est prior secundo, & secundus tertio. Et de quolibet istorum ordinum (vt volunt aliqui) hic tertius prioris modus intelligitur, tamen ni plurimum halluciner, videtur Philosophus solum hoc in loco de ordine doctrinæ, vt sua exẽpla euoluenti perspicuum euadet, differere. ¶*Quarto. Prius perfectione & natura quod alio melius est & honoratius:* vt Deus prior est angelis, angeli hominibus, homines brutis: & quicquid alio dignius est, hoc modo prius dicitur: vt anima corpore, præceptor discipulo, rex suis subditis. Et inualuit mos apud homines: vt honoratiores & eos qui insigni dignitate cæteris præstant, priores appellent.

¶*Quinto, Præter assignatos prioris modos, alius esse uidetur, prius scilicet causa.* eorum enim quæ conuertuntur secundum essendi consequentiam, vbi vnum alterius aliquo modo causa est: quod alterius causa est, dignum est natura prius dici: quòd autem quædam sint huiusmodi, intueri opus est

& ostendere. Nam hominem esse & orationem qua dicimus hominem esse conuerti dicimus. Si enim homo est, & oratio homo est, vera dicitur: & si hæc oratio homo est, vera sit, hominem esse oportet: & homo quodam modo illius orationis veræ causa est. Nam res quodammodo causa videtur, vt oratio vera sit. Eo enim quòd res est aut non est, vera oratio aut falsa dicitur.

¶Contendes, hominem esse, & hæc oratio homo est, sunt simul, non igitur vnum altero prius dicetur. ¶Dilutio, Absurdum non erit, vt in tertio postprædicamento dicetur, aliquo modo aliqua esse simul, & vnum altero quodam modo prioris dici prius: quanuis hominem esse & hæc oratio homo est, essent simul tempore: nihil tamen prohiberet hominem, illa oratione esse quinto priorem. ¶Obijcies, Dubitet quispiam hanc esse orationem homo est, homine existente, non oportebit hanc orationem esse veram homo est, igitur si homo sit, non est necessarium illam orationem esse veram. ¶Vites cauillum, & studeas Aristotelem ad sanam int[illegible]entiam accersere: palã est si homo sit, hãc orationem homo est, intelligẽti eã esse orationem, dici verã. Nec crassis auribus & pistillo retusion[illegible]canit Aristoteles. ¶Posterius & relatiue oppo[illegible]m est priori, tot modis dicitur vt prius. Nam oppositorum eadem est disciplina. & quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis, & reliquum. Et debent referri modi posterioris ad consimiles modos prioris, quibus scilicet opponuntur,

Prius tempore	Posterius tempore
Prius natura	Posterius natura
Prius ordine	Posterius ordine
Prius perfectione	Posterius perfectione
Prius causa quodã mõ	Posteri⁹ causa quodã mõ.

¶Si plures ab his requiras prioris & posterioris modos, decurre ad Aristotelem quinto Metaphysices, qui cap. vndecimo affatim de priori & posteriori disserit.

¶De modis simul Scholia.



Ntercipit Aristoteles tertium postprædicamentum tribus ipsius simul significationibus. ¶Primo, *simul simpliciter & propriissime dicuntur: quorum generatio eodem in tempore est:* vt duo filij eodem partu ex vtero materno egressi, sunt simul tempore: illorum enim nihil prius nihilque posterius est. Et non citra rationem dicit Philosophus hanc significationem esse propriissimam. Nam si maximum prioris modum efficiat tempus: cur non quoque simul æditam naturam tempus efficiet? Quæcunque igitur vnius temporis exortu ædita sunt, & simul natiuum principium substantiámque sortiuntur, simul tempore dicuntur.

¶Secundo, *simul natura, quæcunque ad seinuicem conuertuntur secundum essendi consequentiam,*

& neutrum alterius causa subsistit: vt duplum & dimidium simul sunt natura. Nam secundum essentiæ consequentiam cōuertuntur. Si enim duplum intelligas,& dimidium te intelligere oportet, & ediuerso:& si vnum sustuleris, & te quoq; alterum perimere necesse est:& neutrum alterius vt sit,causa est: vt si mihi suppetant duo nummi & tibi quatuor:duplum est, & dimidium: tuum tamen duplum, vt meum sit dimidium, causa non est. Tum etiam sciscitanti quare quidpiam duplum est, si respondeas quia dimidium est: aptam minime dedisti responsionem. Similiter pater & filius sunt simul natura. nam semper inuicem conuertuntur. Nam si pater sit, non potest non esse filius:& ne quidem vnum prius alio intelligentia percipi potest:& si vnum abstulero, alterum perire necesse est, & pater vt pater, filij causa non est. Nam neq; materia,neque forma, neque finis, neq; efficiens filij pater est,vt pater: quoniā vt explicatius demonstrat dominus Faber Stapu. nullo momento prius pater est quàm filius. solent autem efficientia prius esse effectibus, nisi in aliquibus conseruantibus: vt quàm cito lux tam cito lumen, hæc ille. Simul autem tempore sunt, contra imperitos, & amethodos pater & filius: nulla enim minutula tēporis parte pater sine filio subsistere potest. Quare idem erit vtriusque intelligentiæ oculus, & hoc scite admodum explicat Boëtius. Si Aeneas, inquit, habuerit Ascanium filium: non dicimus, quoniam non fuit Aeneas causa, vt esset Ascanius: sed non fuit pater causa,vt esset filius.Nam cum

dico Ascani⁹,quædã ꝓpria substãtia est:cũ dico fi li⁹,esse nõ potest,nisi ad aliqd referat.& si Aeneã nomino,substantiã dixi:si patrẽ appello,nulla ratione cõstat, nisi ad filiũ referat.igitur causa fuit Aeneas,vt esset Ascani⁹:sed nõ est causa pater,vt esset filius. Pater nãq; fit cũ filius fuerit.hæc ille. Hinc licebit dicere hãc enũtiationẽ,pater nõ genuit filiũ,à vero nõ abhorrere.Nec ꝑsistere velim in his ridiculis forsitan ꝓpositionibus, pater genuit filiũ.nõ genuit pater filiũ.hæc enĩ & similia, sophismatũ vmbris cõtecta,in disciplinis locũ nõ habẽt.peruestigãt enim ĩgenuę disciplinę nitidissimũ veritatis specimẽ: ꝓ qua iubebat Plato totis virib⁹ certandũ:vaframẽta autẽ & infãtissima nugamẽta nõ minus q̃ ĩmanissima mõstra refugiũt. Non possum tamẽ dissuadere asino,vt à carduis abstineat.similes sanè(vt fert parœmia)habẽt labra lactucas.¶Contẽdes,pater dicit prior filio tẽpore:& id neutiq̃ asserendũ est nisi ratione generationis,igit pater genuit filiũ.¶Perspicuũ est patrẽ,tẽpore nõ esse priorẽ filio,etsi vulg⁹ imperitũ dicat cõtrarium,nullã illi oberrãti,& à disciplinis deflectẽti,fidẽ adhibendã esse cẽseo,licet substãtia patris genuerit substãtiã filij.¶Obijcies,Socrates genuit filiũ,sed Socrates est pater,igitur pater genuit filiũ. antecedẽs est possibile,igit & cõsequẽs, & cõsequẽtia est expositoria.¶Si cõsequẽtia sit bona,nõ satagas,q̃uis posset negari.maior à te & ab vnoquoq; nasum habẽte denegari debet.Nã si Socrates genuerit filiũ,genuit igit quod ad patrẽ refertur.at filius ad substantiã tanq̃ ad suũ correlatiuũ nõ refert : quare absone & absurde dicitur, Socrates genuit filiũ.hanc tamẽ enũtiationẽ con-

cedere poteris, Socrates genuit ſubſtãtiã viri: qui quatenus fili⁹, ad patrẽ refertur. ¶ Tertio, *simul natura diuiſiõe: quæ ex eodẽ genere ediuerſo abinuicẽ diuidũtur. Ediuerſo autẽ diuidi abĩuicẽ dicũtur, quæ in eadẽ generis diſſectione aſſumũtur:* vt homo & brutum ſũt hoc mõ ſimul natura: nã diſſecãt hoc genus animal. Similiter greſſile, volatile, aquatile, ſimul hoc mõ natura ſunt. Nã ex eodẽ genere ẽ regione ſecta ſecũdũ vnã & eãdẽ generis diuiſionẽ ſumũtur. Diducitur enim animal in hęc, volatile, greſſile, aquatile: quorũ nihil pri⁹ vel poſteri⁹ eſt: ſed ſimul natura eſſe videtur. Diuiditur rurſus & ſingulũ horũ in ſpecies: vt volatile quidẽ in ijs aui bus quę ſemine veſcũtur, & ĩ ijs quę carnib⁹, & in ijs quę herbis: & eæ ſpecies in quas ſoluitur & dirimitur volatile, erũt ſimul natura. Et hic modus ad oĩa profunditur prędicamẽta. In prædicamẽto ſubſtãtiæ datũ eſt exẽplũ: in prędicamẽto q̃titatis cõtinuum & diſcretũ ſunt ſimul natura. Nam in continuum & diſcretũ quãtitas diducitur. in prędicamento qualitatis, quatuor qualitatis ſpecies ſunt ſimul natura. in prædicamẽto actionis, mutatio ad ſubſtantiã, ad quantitatẽ, ad qualitatẽ, ad vbi, dirimunt hoc gen⁹ actio: quare ſunt ſimul natura. Et licet eiuſdẽ generis mẽbra diuidẽtia, forſitan recti⁹ diuiſa & ſecta appellata, ſint ſimul natura, tamen genera ſemper ſpeciebus priora ſunt ſecũdo prioris modo. Nã ſecundũ eſſentiæ conſequentiã, cum ſuis ſpeciebus nõ conuertũtur: affectantur enim genera ſuas ſpecies, at ipſas ſpecies affectari genera nõ oportet: vt ſi homo ſit, & animal eſſe oportet: ſi tamen animal ſit, hominem ſubſiſtere non oportet.

¶De speciebus motus Scholia.



On incõmodum videbitur ancipitem motus naturã aperire prius q̃ ad eius species enumerãdas &vnãquãq; pticulatim definiẽdã accĩgamur¶Mot⁹ vocabulũ est ĩdifferẽs,suũ potẽs ortũ & à verbo actiuo & passiuo sumere.Cũ descẽdit à verbo moueo,actiuè significat,& ęquũ est actiõi: cũ vero à moueor, passiuè : & idẽ est qđ passio,vt adnotat Clichtoue⁹. Verbalia siquidẽ in tus & in tio,modo actionẽ,modo passionẽ significãt.Itaq; moueo,& ago,sũt denominatiua p̃dicamẽti actio nis.Mot⁹ autẽ ab actiuo descẽdẽs & actio,sũt denominãtia.Sic moueor & patior,denoĩatiua sunt p̃dicamẽti passiõis:mot⁹vero à moueor & passio, denominãtia eiusdẽ prędicamẽti . Hinc decerpes motũ homonymè sumptũ,ad diuersa decumbere p̃dicamẽta . ¶Obsistes,probãdo mouere & agere nõ esse eadẽ.Mouere,vt ĩquit Arist.5. Physic.est sub agere:& moueri,sub pati.igitur nõ eadẽ sunt mouere& agere.¶Dices Philosophũ in illo quĩto Physicorũ sumere motũ & moueri presse & signĩficatione Physico accõmodatissima.Est em̃ mot⁹ vt illic diffinit de subiecto ĩ subiectũ mutatio.Sed cũ dicitur motũ actiuè sumptũ esse actioni æquũ, pariter mouere & agere nõ esse disticta,sumitur motus ꝓ mutatiõe & mouere secũdũ significationem logicã,vt nõ sit qd ab agere distinctũ. Et cũ Philosoph⁹in hoc quarto postprędicamẽto motũ partit̃ in sex species, puta gñationẽ,corruptionẽ, augmẽtationẽ,diminutionẽ,alterationẽ,&secũdũ locũ mutationẽ, sumit motũ latè ꝓ ipsa permutatione: in 5.tamen Physic.cap.1.aliter dissecuit

m.ji.

motũ. Nã illic dicit aliud eſſe permutationẽ, aliud vero motũ: & ꝑmutatiõis duas ponit ſpecies, generationẽ & corruptionẽ. Motus vero tres, ſecũdũ q̃titatẽ, ſecũdũ qualitatẽ, ſecũdũ locũ. eſt eñ mot⁹ proprie dict⁹, de ſubiecto ĩ ſubiectũ, ſubiectũ intellige noĩe affirmationis, vt ĩmutatio de calido ad frigidũ, propri⁹ eſt motus. Sed q̃m hic liber (vt dicit Boëti⁹) ad introductionẽ fact⁹ eſt, quodã modo noluit nimis diuiſionis attenuare rationẽ: ne ingredientiũ animos, ſubtiliori diuiſione cõfunderet. ❡Generatio, eſt mutatio de nõ eſſe ad eſſe, ſiue ingreſſus ad ſubſtãtiã: & ſola ſubſtãtia ex Philoſopho. 1. de g̃natione & corruptione, ſimpliciter generat̃ aut corrũpitur: vt cũ ex toto ſemine fit ſãguis, aut ex ligno ignis: ſãguinis & ignis eſt g̃natio, nã eſt mutatio de nõ eſſe ſanguinis aut ignis, ad eſſe ſãguis vel ignis. ❡Corruptio, eſt mutatio de eſſe ad nõ eſſe, ſiue egreſſ⁹ à ſubſtãtia: vt ĩ exẽplis datis, ſeminis & ligni, eſt corruptio: nã cũ ex ſemine ꝓgignitur ſãguis, fit egreſſus à ſubſtãtia ſeminis, & mutatio de eſſe ſeminis ad nõ eſſe illi⁹. Pariter cũ ex ligno accẽditur ignis, fit ꝑmutatio de eſſe ligni ad ei⁹ nõ eſſe. proſpicis & ſatis lucidè vni⁹ generationẽ, alteri⁹ eſſe corruptionẽ. ❡Augmẽtatio, eſt cũ nutricatione q̃titatis incrementũ: vt cũ augetur puer cũ cibo & potu grãdeſcit & maiorẽ acquirit q̃titatẽ. ❡Diminutio, eſt q̃titatis diminumẽtũ: vt cũ quis graui morbo correptus extenuat̃ corpore, & exiliorẽ corpis molẽ habet, ibi eſt diminutio. ❡Alteratio, vt hic diffinitur, eſt ſecũdũ qualitatẽ mutatio: vt ex albo in nigrum permutatio, dicitur alteratio. Nam eſt ſecũdum qualitatem mutatio, quæ fit in interitu albi

& acquisitione nigri. ¶Sex inueniũtur alteratio-
nis modi. Primus, de contrario in contrarium:
vt calidi ad frigidum permutatio. Secundus, ex
cõtrario in medium: vt cum ex albo fit puniceũ.
Terti⁹,ex medio ĩ cõtrariũ:vt cũ ex puniceo fit al
bũ.Quart⁹,ex medio ĩ mediũ:vt cũ ex puniceo fit
rubicũdũ. Quĩtus,ex habitu ĩ priuationẽ:vt cũ ex
luminoso fit tenebrosũ.Sext⁹,ex priuatiõe in habi
tũ:vt cũ ex tenebroso fit luminosũ. Duobus po-
stremis modis à qualitate solũ,aut ad qualitatẽ so
lũ fit alteratio. Nã cũ ex luminoso fit tenebrosũ,
sola fit ꝑmutatio vni⁹ qualitatis,puta luminis ad
priuationẽ. Hęc autẽ alteratio, nõ est proprijssi-
ma:& cũ fit ex tenebroso luminosũ,sola est ꝑmu
tatio priuationis ad qualitatẽ. Alijs autẽ quatuor
priorib⁹ modis à qualitate,& ad qualitatẽ fit alte
ratio.De his futura est amplior ĩ Physicis deter-
minatio.¶Mutatio secũdum locũ,est ad locũ aut
circa locũ mutatio. Ad locũ quidẽ, ꝓpter motus
rectos,siue sint à medio,vt motus sursum,siue ad
mediũ,vt mot⁹ deorsum.Circa locũ adijcit̃ ꝓpter
motũ circularẽ,qui fit circa mediũ.sed hęc,Physi
ci est exactius discutere.¶De alteratiõe fit addu-
bitatio,Si quicquã alteret̃, an oporteat ipsũ secũ-
dũ aliquẽ aliorũ motuũ alterari.¶Diluit addubi-
tationẽ Philosophus,dicens id minimè oportere.
Nã penè aut secundũ oẽs aut cõplures passiones,
nos alterari cõtingit, nullã aliarũ mutationũ re-
cepturos: nõ enim quod secũdũ passionẽ mutat̃,
gigni oportet,corrũpi,augeri, diminui, secũdũve
locũ mutari:vt qui ĩ sole diutius stetit:si ex cãdi-
do niger est factus, ꝑmutatus quidẽ colore dici-
tur,non tamẽ genitus est aut corruptus. Pariter

quidpiã augeri aut excreſcere poteſt vt quadra-tũ,quod tamẽ nulla paſſiõe alterabitur. Euclides lib.2.cap.1.ſuæ matheſeos demonſtrat quadratũ circũpoſito gnomone poſſe augeri,nõ tamen idcirco (vt dicit Ariſtoteles)alterabitur,quia ſemper quadratũ eſt,neque trãſit in aliud ſchema geometricũ,ſed ſolũ fit maius iũctũ gnomoni,maius quidẽ ſeipſo,ſeorſim poſito, erit igitur alteratio à prædictis motibus diſtincta. ¶Deinde quid motui & eius ſpeciebus opponatur docet Ariſtoteles. Quies, vt inquit,ſimpliciter motui cõtrariatur,id eſt opponitur. Nã vſu plerũque euenit ſpeciẽ pro genere, vſurpari, & ſingula ſpecialia ſingulis ſpecialibus aduerſari:vt generationi corruptio, augmẽtatiõi diminutio,& motui ſecũdũ locũ,quies ſecũdũ locũ oppoſita eſt. Et maximè motui qui eſt ad locũ, motus in cõtrariũ locũ,oppoſitus eſſe videtur:vt motui deorſũ,motus ſurſũ cõtrariatur. Sed alterationi quid oppoſitũ ſit, nõ facile eſt aſſignare, niſi quis illi quietẽ ſecũdum qualitatẽ oppoſitam aſſignauerit:perinde ac quies ſecũdum locũ motui ſecũdũ locũ oppoſita eſt,facile tamẽ erit ſecũdũ alterationis ſpecies aſſignare quid alterationi cõtrarietur:vt calefactioni cõtrariatur frigefactio.

¶De modis habere.



Ltimũ felicius proſequuturi poſtprædicamẽtũ,de modis habere ad oĩa ſpatiatis prędicamẽta,differemus. ¶*Habere ſeptẽ modis dicitur. Primo habere qualitatẽ*: vt habitũ aut diſpoſitionẽ, naturalẽ potẽtiã aut impotẽtiã, paſſionẽ aut paſſibilẽ qualitatẽ,formã aut circa hoc aliquid cõſtãtẽ figurã. Et per hoc verbũ habere, circũloquimur

oĩm prędicamentorũ denominatiua,vbi nomina desunt:vt habere rhetoricã,est esse rhetorẽ.habere eloquẽtiã,est esse eloquẽtem,habere caliditatẽ, est esse calidũ.¶*Secũdo habere quãtitatẽ*:vt tricubitã habere magnitudinẽ,vel bicubitã:& idẽ est esse bicubitũ,aut tricubitũ.¶*Tertio habere aliquid circa corpus*,vt tunicã,pileum,calceũ,togã,prętextã.Et hic modus vltimo prędicamẽto finitimus est,cui⁹ habito principali, siue denominante, circũloquimur per hoc verbũ habere,eius denominatiua:vt habituatũ nõ aptè dicimus,sed aptius habere habitũ.¶*Habere quarto,est habere mẽbrũ*:vt manũ,pedẽ,caput. Hęc autẽ nomina absolutè ab Aristotele sumũtur(vt dicit Clichtoueus)vt partes significẽt,sed nõ denotẽt esse partes.Aliud est hãc vocẽ pes significare partẽ, & denotare alicui⁹ esse partẽ.In prima significatiõe est ĩ genere substãtiæ ad totũ minimè cõparata.In secunda sub genere ad aliquid cõtinetur:vt referatur ad totũ cui⁹ est.Et hic quartus modus cõfert ad denominatiua terminorũ prędicamẽti substãtię explicãda.¶*Quinto habere contentũ*:vt modius dicitur habere triticum,& lagena vinũ: & tẽpus res sibi obnoxias,& quę sub eo cõtenta sunt:pariter locus dicitur habere res quæ sunt in loco . Et hic modus respicit dicibilia triũ prędicamẽtorũ,quãdo scilicet,vbi,& positionis. ¶*sexto habere possessionẽ*: vt domũ vel agrũ.Verũ cum possessio sit possidẽtis possessio,& possidẽs est rei possessæ possidẽs: ideo hic modus respicit ad aliquid.¶*septimo habere uxorem,sed hic modus alienissimus est*. Nihil enim est aliud habere vxorẽ,quàm eodẽ cõnubij thoro cũ sua vxorẽ copulari,& adinuicẽ vir & vxor referũtur. Nã nobi

liorẽ domus partẽ,puta cõiugalẽ,vt vult Philoſophus primo Politicorũ conſtituũt,ſine cuius mutuo fœdere,mutuáque ſocietate,legitima ſoboles nõ propagaretur,nec cõtinua hominũ ſucceſſione ſtabiliret reſpublica. ¶Alios ponit modos Philoſophus cap. viceſimotertio quĩti Metaphyſices. Vt habere vi & ĩpetu, vt febris hominẽ habet, & tyrãni ciuitates. Alio modo id quo quippiã eſt tã quã in ſuſceptiuo: vt æs ſtatuæ formã,& corpus ægritudinẽ habet. Itẽ quod prohibet aliquid ſecũdũ impetũ moueri aut agere,habere dicit hoc ipſum: vt colũnæ dicũtur ea habere onera quę ſup ipſa poſita ſunt,& vt poëtę fingũt Atlãtem, cælũ habere,quod niſi ſuis humeris tãquã molẽ geſtaret, caſurũ ſup terrã quidã Phyſiologorũ tradũt. ¶Admirabitur quiſpiã cur Philoſophus,cũ ipſum habere ſuperius in genere nominauerit, aliorũq; prędicamentorũ numero aſcripſerit,nũc idipſum multiplex & ęquiuocũ ponat. ¶Nõ putes abſurdũ idẽ prędicamẽtũ nũc vniuocè,nũc ęquiuoce prædicari. vniuocè quidẽ q̃diu generis rationẽ obtinet,& ęquiuocè alia ratiõe: habere gen⁹ eſt iſtarũ ſpecierũ calciatũ eſſe,armatũ eſſe: æquiuocũ vero ſignificationib⁹ citatis. ¶Cũ licuerit noſtra ſcholia varijs habere modis finire,vnũ integerrimę volũtati quẽ vocãt diuini Philoſophi habere beatitatẽ,ſeu felicitatẽ æternã,infigam⁹. Quã velit nobis largire de⁹ rerũ omniũ largitor copioſiſſim⁹.

Laus toti trinitati.

VTILIVM ADMODVM AD PRÆDIcamenta Ariſtotelis Scholiorum, à Ioanne Arboreo Laudunenſi,ex eruditis authoribus ſelectorum, Finis. Anno Salutis humanæ, 1538. Menſe Nouembri.

